

65



/144

Feb 1265<sup>o</sup> 52




201  
5

CB 1000 581483

FR XVIII/144

Iuris Civilis  
Valencia



IURIS CIVILIS  
ROMANI, ET HISPANI  
THESES,  
QUAS

IN CONCURSU AD SECUNDARIAM  
EIUSDEM IURIS PRAEPOSITURAM,

DEFENDET

*JACOBUS BELDA ET VANCO*  
*PRESBYTER, I. U. D. ET CENSOR,*  
*Justinianei Codicis Cathedrae Professor.*

IN VALENTINAE UNIVERSITATIS THEATRO  
DIE XV. MENSIS FEBRUARII ANNI MDCCCLXXXV.  
Hor. IX. et III.



VALENTIAE  
EX OFFICINA SALVATORIS FAULI.

M. DCC. LXXXV.

IURIS CIVILIS  
ROMANI ET HISTORIÆ  
THESES  
IN CONCORSU AD SEGUNDARIAM  
DISPUTATIONEM IURIS PRACTICARUM  
DEFENDIT  
IMMOSANTZ ACADEMIA VENETO  
PROFESSORIS, ET ALUMNI CIVICORUM  
IN VALLENTINAE UNIVERSITATIBUS DEFENSATA  
Dicitur MATHIAS HERMANNUS ARNOLDUS  
VALLENTINUS  
EX OPTICINA SAVANATORIE FAVIT  
M. DE LUXA

PER ILLUSTRI  
VALENTINAE URBIS  
SENATUI:

D. D. IOACHIMO PAULO A SALVATORE, ET ASPRER,  
GUAL, ET FERRER, Domino Honoris Territorii Divi Martini,  
et Ruvirae, Villae-francæ de Panadés Maiori Signifero, Prae-  
tori, et Iustitiae Maiori huius Civitatis, cet.

MAGNIFICIS RECTORIBUS:

- D. EMMANUELI FERNANDEZ DE MARMANILLO, RAMIREZ DE LA  
PISCINA, in S. Officio Valent. Inquisit. Primario Apparitor:  
D. JOSEPHO MIRALLES, ET CEBRIAN, Academ. Regiae Historico-  
Matriensis Socio Honorario:  
D. FRANCISCO CEBRIAN, ET BORDES, Regii Milit. Ordin. B. Ma-  
riae de Montesia, ac S. Georgii de Alfama stemmate decorato:  
D. ANTONIO PASQUAL, ET GARCIA DE ALMUNIA, I. U. D.  
D. VINCENTIO PASCHALI GUERAU DE ARELLANO, PUCHADES, Sis-  
TERNES DE OBLITES, Phil. Mag. I. C. Baccal.  
D. FRANCISCO BENEDICTO ESCUDER, ET SEGARRA, I. C. D.  
D. JOSEPHO VINCENTIO RAMON DE CASCAJARES, DURAN, HERLA,  
ET HENRIQUEZ DE NAVARRA, Baroni in Tamarit:  
D. GASPA RI PASTOR, ET ROMBAU:  
D. IGNATIO LLOPIS FERRIZ, ET SALT, Phil. Mag. I. C. D. Re-  
gii Matriens. Iur. Pub. Acad. in Reg. Cons. Advoc. Coll. eiusd.  
Alumn. et Cens. et in Reg. Val. Auditorio Pauperum Patronq:  
D. VINCENTIO ANTONIO NOGUERA, ET RAMON, I. C. D. Regii Ma-  
gistrat. Agricult. et Negotiationi fovendae Ministro Vocali, No-  
bilium Ordine:  
D. FRANCISCO DE PAULA ALBORNOZ, ET CEBRIAN, I. U. D.  
D. ELPHO VALERIOLA, ET RIAMBAU, S. Iacobi stemmate oruato:  
D. ILDEPHONSO MERGELINA, ET PEREZ PASTOR:  
D. IOANNI BAPTISTAE ESPLUGUES DE PALAVICINO, ET VERGADA,  
Baroni in Fignestrani, Domino in Oppido de Mahuella, et Uni-  
versitatis vulgo de la Puebla Larga; Artis equestris magisterii Va-  
lentini Socio, et viro à Secretis Societatis Oeconomicæ amicorum  
Valentinae Urbis:

D.

- D. MAURO ANTONIO OLLER, ET BONO, olim Regal. Gratiae Decimar. Noval. Iud. Apost. et Reg.
- D. IOACHIMO ESTEVE DE ARBOREDA, MAS DE MASPARROTA, I.U.D.
- D. EMMANUELI GINER, ET GINER, I. C. D.
- D. VINCENTIO GUILLEM BUZARAN, ET ELVIRA:
- D. IOACHIMO ESCOLÀ, ET CLIMENT, à Consil. Reg. Advoc.
- D. BERNARDO INSA, ET LEREU.

*SYNDICO PROCURATORI GENERALI:*

- D. SALVATORI ADELL ET FERRAGUT RUIZ DE MEDINA, Baroni in Chova, et Bellota Regni Valentiae, necnon Regalis Villae de Madrigal Castellae veteris ex antiquis Rectori perpetuo, Agriculturae ac negotiationis fovendae olim Vocali nobilium ordine, I. C. D. pro Instit. temporalium Cathedra candidato, et in Regis Auditoriis Causarum Patrono.

*CONSULTISSIMIS ADVOCATIS:*

- D. JOSEPHO MARIAE ALEMANY, Iur. Caes. et Pontif. Doct. pro variis utriusque Iuris Cath. Praepositura, et Canonicatu candidato, Imperial. Institut. postea Profess. et I. U. C. nunc vero à Reg. Consil. Advocato, Valent. Colleg. Alumn.
- D. VINCENTIO ALFONSO ET MARTINEZ, Phil. Bacc. I.C.D. pro Instit. Imp. Cath. candid. à Reg. Consil. Advoc. et Reor. violatae Religionis apud Valent. S. Inquis. Trib. Advocato, et Valent. Colleg. Alumn.

*A SECRETIS FIDELISSIMO:*

- D. THOMAE TINAGERO, ET VILLANOVA, Domino in Oppido de Ayacor, Phil. Mag. I. C. D.
- VIRIS QUIDEM AVITA NOBILITATE, ET DOCTRINAE splendore clarissimis, ac de Academia nostra optime meritis, hoc qualemque munusculum in aeternum observantiae monumentum dedicat*

*Iacobus Belda et Vaño.*



*DE OFFICIO EIUS , CUI MANDATA  
est iurisdictio.*

EX DIG. LIB. I. TIT. XXI. COD. LIB. III.  
Tit. XIII. Partit. III. Tit. IV.

1. **I**urisdictio ex eo appellatur , quia ius dicitur.
2. Considerari potest ut genus , vel ut species.
3. Ut genus considerata latissime patet , et comprehendit potestatem , quam habet Magistratus tam iure proprio , quam lege aut constitutione delatam.
4. Idque tam in civilibus causis , quam in criminalibus.
5. Sub hoc iurisdictionis nomine venit aliquando imperium merum , mixtum , et iurisdictio in specie.
6. Merum imperium est , habere gladii potestatem ad animadvertisendum in facinorosos homines.
7. Merum imperium aliquando latius conceditur , aliquando angustius : tantumque quis habet , quantum ei specialiter datum est.
8. Cum Imperator alicui gladium dabat , merum imperium ei conferebat , quod gladio adempto ab eo auferebat.
9. Princeps iure suae potestatis , quae omnia Magistrat-

stratum iura longe supereminet , merum imperium habet , supremamque iurisdictionem , et inconfesso est apud omnes.

10. Ipse solus Magistratus creat , quibus imperium communicat.

11. Magistratus non solum habent usum et exercitium , sed et ipsum merum imperium.

12. Merum id imperium competere tantum potest ei , cui Princeps nominatim concessit.

13. Merum imperium à Magistratu mandari non potest.

14. Excipimus casus , quibus id concessit lex publici iudicij , aut Principis constitutio.

15. Lege publici iudicij , cum Quaesitori addebatur index quaestionis , qui eius vice et partibus fungeretur , huic mandare poterat merum imperium ; non tamen aliter , quam si abesse cooperit.

16. Principis constitutione urbis Vicarius fuit additus , qui imperium exercebat absente , vel mandante Praefecto urbis.

17. Nec Praefectus urbis potuit merum imperium alteri mandare , quam Vicario.

18. Si nullus esset Vicarius , cum Praefectus morbo aliquo diurno impeditetur , non poterat alteri mandare imperium , sed debebat à Principe petere Vicarium , aut qui pro Praefecto cognosceret.

19. Regio nostro iure Magistratus , iusta intercedente causa , mandare possunt meri imperii causas , reservata tamen sibi sententia , quam neutquam mandatarius pronuntiare potest.

20. Mixtum imperium est potestas modicè coercendi cohaerens iurisdictioni , ad eam tuendam , atque exercendam comparata.

21. Iurisdictio est ius cognoscendi , statuendique in causis civilibus , quod iure Magistratus competit : vel brevius , notio , quae competit iure Magistratus.

22. Quamvis aliquando unum pro altero accipiatur , tamen omnino diversa est iurisdictio ab imperio mixto.

23. Magistratus exercet iurisdictionem , cum causam cognoscit , decernit , et sententiam dicit : Imperium , cum coerget contumaces.
24. Mixtum imperium seiungi non potest à iurisdictione.
25. Modica coercitio , quae inest mixto imperio , aliquando latius patet , aliquando angustius.
26. Maiores Magistratus , qui plenam et excellentem iurisdictionem habebant , plena etiam coercendi potestate pollebant : veluti pignora capiendi , multam dicendi , corpus retinendi , cet.
27. Secus de Magistratibus minoribus , qui licet aliquam coercitionem ad tuendam iurisdictionem habebant , non tamen tanta eis permittebatur.
28. Hac de causa hi cum illis comparati , sine imperio esse , dicebantur.
29. Moribus à Romae incunabulis ortum ducentibus inductum est , ut iurisdictio non solum à Magistratibus exerceri , sed etiam aliis mandari possit.
30. Idque sive Magistratus sit mandatarius , sive privatus.
31. Qui vero Magistratus non sunt , licet aliquam iurisdictionem habeant , nequeunt eam mandare.
32. Neque Magistratus illam , quae eis tributa est speciali legis concessione.
33. Huius generis sunt ius dandi tutores : item ius decernendi adoptiones , emancipationes , aliaque similia , quae proinde mandari nequeunt.
34. Ius vero cognoscendi de suspectis tutoribus mandari potest : et in mandatarium transit , cum mandatur simpliciter iurisdictio.
35. Id ipsum dicimus de imperio mixto.
36. Mandari quoque possunt causae cognitionis praetoriae , quae extraordinariae dicebantur , veluti medicorum , aut advocatorum honoraria.
37. Sed hae in mandatarium non transeunt , si iurisdictio simpliciter mandata fuerit.

38. Permissum Magistratibus est, vel totam iurisdictionem mandare, vel unam tantum speciem:
39. Vel in certas dumtaxat personas.
40. Quatenus iurisdictione in mandatarium transeat, ex ipso mandato aestimandum est.
41. Caeterum numquam ita transit, ut mandans se iurisdictione exuat, et privatus maneat.
42. Neque ita ut mandatarius Magistratus evadat.
43. Qui mandatam iurisdictionem suscipit, ea non proprio iure, sed mandantis fungitur.
44. Et procedit, etiam si Magistratus sit, qui mandatam iurisdictionem exequitur.
45. Iurisdictionis mandatarius per se causam cognoscere potest, sicut mandans solebat.
46. Poterat Consilium exercere, licet non passim, et ubi Magistratus poterat.
47. In causis iuris ordinarii poterat etiam Iudicem dare.
48. Neque à Gordiano Imperatore id ius sublatum fuit.
49. Imperatores Theodosius et Valentinianus primi fuerunt, qui Iudicis dationem denegarunt illis, qui alienam iurisdictionem administrabant.
50. Poterit tamen iurisdictionis mandatarius sententiam suam executioni mandare.
51. Nullus tamen dicet, iurisdictionem mandatam, quam exequitur, propriam esse; nisi à Principe mandatam accepterit.
52. Nulla mandata iurisdictione lege defertur; nisi ea, quae à Principe mandata est.
53. Omnes tamen, quae ritè mandatae sunt, lex confirmat.
54. Iurisdictione mandata mandatarii morte finitur: et mandantis morte, si modo mandans, decesserit re integra.
55. Cum universa iurisdictione mandatur, et mandans obeat eo tempore, quo negotium geri coeptum est, poterit mandatarius prosequi, minimè verò caetera incipere.
56. Liberum est iurisdictionis mandatori mandatum revocare.

57. Iurisdictio tamen à Proconsule legato suo manda-  
ta , revocari non poterit inconsulto Principe.

58. Cum iurisdictio ad certam causam mandata est , fi-  
nitur impleto negotio : sicuti quae ad certum tempus man-  
data est , solo temporis lapsu exspirat.

59. Possunt etiam litigantes dare , vel augere iurisdictionem  
Magistratui , vel mandatario , licet alias incompetentes sint.

60. Haec iurisdictio vulgo prorogata appellatur.

61. Ex auctoritate legis Iuliae , cum quis conventione  
sua se subiicit alterius iurisdictioni , quidquid ab hoc di-  
ctum est , ratum habetur , ac si dictum fuerit in proprio et  
competente foro.

62. Cautum id fuit non in lege Iulia publicorum iudi-  
ciorum , sed priuatorum.

63. Nihil refert , an conventio , qua quis se alterius  
iurisdictioni subiicit , nuda sit , an non nuda.

64. Neque quod sit expressa , aut tacita.

65. Si igitur reus in ius vocatus venit ad Praetorem non  
suum , ibique conventus , omissa fori exceptione , litem  
contestatur , fori exceptioni renuntiasse , et iurisdictionem  
prorogasse intelligitur.

66. Caeterum ut iurisdictio prorogata censeatur , opus  
est , ut sciat saltēm reus , se non esse subiectum iurisdictioni  
imperantis , et in eum consentiat.

67. Cum error in conventione intervenit , puta Titium  
putasse iurisdictionem esse eius , in quem consensum est ,  
non censetur iurisdictio tunc prorogata : Neque si reus pu-  
tavit alium pro alio Praetorem esse adītum.

68. Idem est dicendum , cum reus gravi metu coactus  
in Praetorem non suum consentit.

69. Praetoris autem consensus , ut sua iurisdictio pro-  
rogetur , necessarius non est.

70. Oportet eum , in quem iurisdictio prorogetur , iu-  
risictionem habere.

71. Nihil tamen interest , an haec iurisdictio propria  
sit , an mandata.

72. Idque procedit in civilibus causis.

73. In criminalibus autem , iurisdictionis prorogatio locum non habet , neque lex Iulia id umquam concessit.

74. Regio nostro iure iurisdictionis prorogatio obtinet in causis civilibus:

75. In criminalibus autem prorogari potest , cum Iudex alias incompetens merum imperium habet , et dolus cessat.

76. Iudex proprius ratam habebit prorogationem , cum accusans et reus sponte sub alio Iudice litigant.

## DE PACTIS.

EX DIG. LIB. II. TIT. XIV. COD. LIB. II.  
Tit. III. Partit. V. Tit. XI.

**P**actum vel conventio in genere est : *Duorum vel plurium in idem placitum consensu*.

77. Vel publicum est , vel privatum.

78. Publicum est , quod fit ex causa publica , veluti ad pacem , aut aliud quid simile.

79. Publicorum pactorum potestas penes eos solos est , qui summae rei praesunt , in statu nempe Monarchico penes Regem : In Aristocratico , vel Democratico , penes maiorem partem Optimatum , vel Civium.

80. Belli Duces non nisi de his rebus , quae ad belli administrationem pertinent , vel quae ipsis sunt concessae , iure pacisci possunt.

81. Pacem autem aut inducias constituere , citra Principis , aut populi consensum , non possunt.

82. Hostibus fides data iure naturali servanda est.

83. Pactum privatum est , quod fit ex causa , et de re cuiusque privata , ac familiari.

84. Privatum pactum aut nudum est , aut non nudum.

85. Non nudum sive vestitum , ut vulgo dicitur , ex dua-

duabus notis cognoscitur , scilicet si proprium nomen conventionio sortita sit , vel si conventioni subsit causa agendi.

87. Huiusmodi conventiones uno verbo contractus appellantur , et iure civili obligationem et actionem producunt.

88. Contractus enim non aliud est , quam conventio habens proprium nomen , aut eo deficiente , causam.

89. Harum conventionum duo sunt genera ; unum earum , quae speciale nomen habent , et contractus nominati dicuntur ; alterum earum , quae nomine carent , et contractus innominati appellantur.

90. Nomine causae in contractibus innominatis , non intelligitur causa finalis , neque causa impellens ; sed solum datio vel factum ad conventionem sive statim , sive postea accedens : nempe quando praeter conventionem , quid darum , aut factum est ab uno contrahente.

91. Pactum nudum , de quo nobis praecipuus est sermo , illud dicimus , quod puri placiti finibus stat.

92. Hoc evenit , quoties pactum non habet speciale nomen , nec civilem obligandi causam.

93. Quando nomen pactum simpliciter sive absolute ponitur , nudum , de quo loquimur , regulariter intelligitur.

94. Nuda pacta sui natura producunt obligationem naturalem : Civilem vero non pariunt.

95. Nulla itaque nascitur actio ex nudo pacto ; licet ex causa honesta factum sit , et de animo serio et deliberato paciscentium constet.

96. Haec iuris civilis regula fallit in duobus casibus : prior est , si pactum contractui adiiciatur ; alter , si lege confirmetur.

97. Quae pacta nuda permanent , si cum iuris auctoribus loquamur.

98. Caeterum interpretes dupli ea vestimento veste runt : alia vestimento , quod assistentiae legis appellant ; alia vestimento , quod dicunt cohaerentiae contractus.

99. Pacta ita ab interpretibus vestita actionem pariunt.

Et

100. Et ut claritate procedamus de utroque exceptionis casu separatim loquemur.

101. Cum pacta contractibus bonae fidei incontinenti adiiciuntur , actionem contractus et ipsum contractum forment , ac legem contractui dant , tam ex parte actoris, quam ex parte rei.

102. Si vero interponuntur ex intervallo , ea non insunt ex parte actoris , sed tantum ex parte rei locum habent , eique prosunt ad exceptionem.

103. Ita id intelligendum est , si pacta ad contractuum adminicula spectant ex. gr. cum emptioni et venditioni adiicitur pactum , ne cautio duplae praestetur ; vel ut cum fideiussore cautio duplae praestetur.

104. Etenim cum pacta ad internam contractuum naturam , sive ad eorum substantiam pertinent , nihil interest , utrum ab initio contractus , an ex intervallo pactum adiiciatur.

105. Neque interest , utrum adiiciat , an aliquid contractui detrahatur.

106. His enim casibus , pactum contractibus adiectum non tantum exceptionem , sed etiam actionem producit.

107. Quare si contractui emptionis et venditionis , re adhuc integra , id est neque pretio dato , neque re tradita , pactum de pretio augendo minuendove adiiciatur , sive in continenti , sive ex intervallo , actionem contractus emptionis reformat.

108. Cum vero pacta adiecta contractus naturae et substantiae palam repugnant , quaedam tamquam accessiones insuper habitae , nullius momenti sunt , salvo contractu , veluti si in societate convenerit , vt ab ea non liceat recedere.

109. Quaedam priorem contractum renovant , et in aliud contractum evadunt , veluti si in commodato convernerit , ut merces praestetur , quo fit locatio et conductio.

110. Ut sciamus , quando pacta contra substantiam contractus palam adiecta pro non adiectis habeantur , vel novum contractum forment , attendi non debet similitudo argumenti , nec mera ratio ; sed usus et auctoritas veterum , qui

qui quod in uno casu hac in re receperunt , in alio simili eadem fori disputatione respuerunt.

111. Cum pactum adiectum non palam , et directo; sed solum tacite , contractus substantiae opponitur , servatur.

112. Non quidem ut mutet negotium , sed ut alteret et temperet ; veluti si quis pecuniam hac lege deposuerit, ut depositario ea uti liceret, et usuras praestaret ; licet haec conventio excedat depositi modum , non tamen efficit , ut res in alium contractum abeat , sed iure depositi hoc pactum valebit.

113. Pacta in continentis adiecta ea dicimus , quae inter contrahendum adiiciuntur:

114. Atque etiam illa , quae statim post contractum perfectum apponuntur , nullo alio actu interveniente.

115. Quod attinet ad contractus stricti iuris , si his pacta in continentis adiiciuntur, et obligationi addunt , non insunt ex parte actoris , neque formant actionem:

116. Si vero obligationi detrahunt , insunt ex parte rei, et tollunt , aut transfigurant ipso iure actionem.

117. Cum vero ex intervallo subiiciuntur , sive detrahant , sive aliquid contractui adiiciant , non insunt ipso iure , ad exceptionem tantum reo proficere possunt.

118. Haec veterum regula non semper , neque ab omnibus servata fuit , fori disputatio , et usus quaedam mutantavt.

119. Satis de pactis contractui adiectis : nunc de his, quae lex confirmat , quaeque non immerito legitima appellantur , et actionem producunt ac tollunt.

120. Pauli iure consulti tempore aliqua erant pacta legitima , quae et actionem ipso iure tollebant , et producebant.

121. Pactum ne furti agatur , tunc temporis actionem ipso iure tollebat.

122. Item ex nudo pacto Civitatibus debebantur usurae creditarum pecuniarum.

123. Imperatorum constitutionibus donatio ex nudo  
B pa-

pactō valet s̄ et si nulla interveniat traditio aut stipulatio, dummodo constet verbis in praesens tempus collatis.

124. Contrarium dicimus, si verba in futurum fuerint concepta.

125. Item nuda dotis pollicitatio actionem producit.

126. Iure etiam praetorio aliqua sunt pacta nuda, quae actionem quoque producunt, veluti hypotheca nudo pacto facta.

127. Item cum quis nudo pacto constituit se solutum, quod ante debitum erat.

128. Ex eodem iure oritur actio, quam habet actor, qui, deferente reo iusiurandum, iurat:

129. Vel cum iurare paratus est, remittitur ei iusiurandum.

130. Si autem actor iurat, nemine iusiurandum defrente, Praetor id iusiurandum non tuetur, neque actionem ex iusiurando habebit.

131. Actio haec ex iureiurando competit non solum, quando iusiurandum extrajudiciale actori defertur; sed etiam quando iudiciale, quod fit approbante Iudice.

132. Contrarium dicimus de iureiurando necessario, quod fit ad Iudicis petitionem in causa dubia, et laborante inopia probationum.

133. Licet Praetor non servet omnia nuda pacta quo ad producendam actionem; ea tamen tuetur concedendo exceptionem, praesertim cum fiunt donationis causa.

134. Pacta alia realia sive in rem sunt, alia personalia sive in personam.

135. Pacta realia ea omnia dicimus, quae generaliter, et sine designatione personae fiunt.

136. Cum vero certa persona pactis inseritur, regulariter personalia sunt; licet non semper.

137. Si persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur, cum quo pactum factum est, reale erit.

138. In dubio an pactum liberatorium sit in rem, an in personam, in rem esse praesumitur.

139. Personalia pacta ad heredes non transeunt , sed paciscentis morte extinguntur.

140. Caeterum vivo paciscente prosunt successori eius singulati.

141. Cum filiusfamilias pactus fuerit *ne à se petatur*, proderit ei , et Patri si de peculio conveniatur : et Patris heredi vivo filio.

142. Post mortem filii , neque prodest heredi Patris, neque ipsi Patri.

143. Cum vero ipse filiusfamilias fuerit pactus, *ne à Pater petatur* , Patri pactio prodest.

144. Similiter prodest domino pactum servi *ne petatur à domino*:

145. Sive paciscantur de eo , quod cum ipsis ; sive de eo , quod cum Patre aut domino contractum sit.

146. Idem dicimus de his , quos , licet servi nostri non sint , bona tamen fide possidemus , qui paciscendo *ne à nobis petatur* , nobis prosunt.

147. Idem est dicendum de servis , quorum usumfructum habemus.

148. Cum paciscitur servus , *ne à se petatur* , exceptio pacti conventi non nascitur:

149. Competit tamen domino exceptio doli mali subsidiaria.

150. Pactum à Patre factum , *ne à filio petatur* , filio non parit exceptionem pacti:

151. Tribuit tamen ipsi filio dolii mali exceptionem.

152. Et quamvis postea filius Patris heres extiterit, idem erit dicendum.

153. Caeterum cum Pater fuerit pactus, *ne à filio tamquam herede suo petatur* , conventionis exceptionem habebit filius:

154. Caeteris autem Patris heredibus exceptio non competit.

155. Tutor paciscendo pupillo , ei prodest.

156. Idem erit , cum curator paciscitur minori , furioso , aut prodigo.

157. Si procurator meus mihi fuerit pactus , pacti exceptionem non habebo:
158. Doli tamen exceptione uti potero.
159. Sed et competit reo doli mali exceptio , si fuerit pactus fideiussor , ne à reo petatur.
160. Idemque erit in confideiussoribus.
161. Personae plane extraneae , cum quibus nullus nobis respectus est , inutiliter nobis paciscuntur.
162. Nisi pactum adiectum fuerit actui naturali.
163. Pacta concepta in personam rei , fideiussoribus non prosunt , si attendamus pandectarum ius.
164. Aliud iuris est , si de iure novellarum sit sermo.
165. Nisi fideiussores ordinis beneficio renuntiaverint; quo casu , neque iure novo attento pacta eis proderunt.
166. Pacta liberatoria in rem omnibus prosunt , quorum obligationem dissolutam esse , paciscentis interest.
167. Pacta in rem heredibus paciscentium prosunt:
168. Et etiam fideiussoribus , qui regressum contra reum habent.
169. Qua in re distinguendum non est inter ius vetus et novum.
170. Cum fideiussores nullum adversus reum habent regressum , eis non prosunt rei principalis pacta.
171. Nec fideiussoris pactum reo , aut confideiussoribus prodest,
172. Pactum unius è duobus debendi reis , correo non prodest : nisi correi fuerint socii.
173. Regulare est , neminem alteri pactione sua nocere posse.
174. Pacta tamen à servis aut filiisfamilias in rem facta , ne pecunia petatur , domino Patrive nocebunt , si de re peculiari , cuius liberam habent administrationem , sint facta , ex negotio fines administrationis non excedente.
175. Procuratores paciscendo intra cancellos sui munieris , actionem dominorum exceptioni doli subiiciunt.
176. Tutorum pacta nullum pupilli's damnum inferunt.

177. Nec pac̄ta curatorum furiosis , prodigis , aut minoribus.
178. Cum eiusdem debitoris plures creditores fuerint, pacta , quibus maior horum pars inducias debitori dat, reliquis creditoribus nocent.
179. Et procedit , etiam si isti hypothecarii sint.
180. Contrarium dicimus de pactis , quibus maior creditorum pars totum debitum , aut eius partem remisserit.
181. Casum excipimus , quo heres debitoris non aliter hereditatem adire velit , quam si creditores parte dumtaxat debiti contenti sint.
182. Cum hic evenit casus , pactum maioris creditorum partis de remittenda parte debiti nocebit caeteris:
183. Etiam si hi fuerint absentes , et personale privilegium habuerint:
184. Creditoribus vero hypothecariis non nocebit.
185. Pacisci possunt omnes , qui consentire , et naturaliter sese obligare possunt.
186. Itaque mutus , deportatus , filiusfamilias , servus, prodigus , impubes , proximus infantiae pacisci possunt.
187. Contra vero nec furiosus , nec mente captus , nec ebrius , nec infans pacisci valent.
188. Pacisci possumus cum omnibus , quibus iure gentium communionem habemus , licet hostes nostri sint, quibus fides data servanda est.
189. Pacta , quae adversus leges , plebiscita , senatus-consulta , edicta Principum , aut in fraudem cuiusque eorum fiunt , Praetor prorsus improbat , et pro non factis habet.
190. Conventio igitur si paciscor , ne furti agam , vel iniuriarum , si feceris , non valet.
191. Contrarium erit , si pactio iniurias , vel farta iam facta respiciat.
192. Item nullum est pactum ne dolus praestetur , nisi de dolo praeterito.
193. Caeterum pactio ne depositi agam , depositario proderit , etiam si ante eius culpam fuerit inita.

194. Valet etiam pactum , quo deponens promittit se effecturum , ne servus depositus fur fiat.
195. Inutilis tamen erit pactio , qua Titio pecuniam promissero , ne furtum , aut aliud maleficium faciat.
196. Illa quoque inutilis est , qua Advocatus vel Procurator cum litigante convénient , ut partem eius , quod ex lite acceperit , eis tribuat.
197. Vel alio modo incertum litis eventum redempti.
198. Permissum tamen est Advocato , qui sui creditoris causas defendit , cum eo pacisci , ut hic propter defensionem praestitam , partem debiti remittat.
199. Petere etiam poterit Advocatus palmarii nomine id , quod post finitam litem pactus sit , sibi dari.
200. Dummodo legitimam quantitatem non excedat.
201. Pacta de hereditate viventis obtainenda nullius sunt momenti , etiam si mutuam paciscentium successiōnem respiciant.
202. Igitur si ego et tu paciscamur , ut hereditas Titii viventis , quam speramus , certo modo inter nos dividatur , nihil agimus.
203. Idque procedit , etiam si has conditiones adiiciamus : *Si Titius mortuus fuerit : Si ad eius hereditatem vocemur : nisi ipse Titius pactionem nostram approbaverit.*
204. Nec valebit pactio super facultatibus eius , cuius vita incerta est.
205. Neque pactum vivo testatore initum , ne heres falcidia utatur ; etiam si attendamus novum Iustiniani ius.
206. Caeterum si post mortem testatoris pactum fuerit initum , utile erit.
207. Idem exaudiendum est de pacto , quo filius testatoris sponderit , se non moturum querelam in officiōsi testamenti ; etsi promissio ipsi parenti fuisset facta.
208. Validum est pactum , quo legatarius post mortem testatoris remittit heredi legatum , ex die certo relictum aut sub conditione , ante adventum diei aut conditionis.

209. Pactum, quo alimentarius renuntiat alimentis sibi relictis, inconsulto adhuc Praetore validum est.
210. Contra beneficium edicti Aedilium pacisci licet; permisso itaque est venditori iumenti morbosi pacisci, ne ipsi emptori teneatur actione redhibitoria.
211. Servanda quoque est pactio, qua inter venditorem et emptorem convenerit, ut vendor de evictione non teneatur.

212. Huius pactionis effectus est, ut re evicta vendor non debeat utilitatem, debeat autem pretium.

213. Nisi venditor rem alienam esse sciens eam viderit; quo casu, et pretium emptori restituendum est, et simul utilitas.

214. Quoties pactum à re privata remotum est, servari non oportet.

215. Et generaliter servanda non sunt ea pacta, quae turpem causam continent.

## EX LEGE II. LIB. V. TIT. XVI.

### *NOVAE RECOPILATIONIS.*

216. **R**egio hoc nostro iure omnis consensus, per quem quoquo modo appareat aliquem se obligare voluisse, obligationem et actionem parit.

217. Tantumque efficit pactum nudum vel solus consensus contrahentium, quantum olim stipulatio.

218. Oritur ex pacto nudo actio, quae conductio ex lege non immerito appellari potest.

219. Per nudum pactum ipso iure tollitur etiam obligatio.

220. Licet olim incertitudo vitiare obligacionem, hodie vitium non affert, si de jambio obligandi constet:

221. Arbitrio enim boni viri incertitudo declaranda erit.

In

222. In permutatione , et caeteris contractibus inno-  
minatis locus non est poenitentiae re adhuc integra.

223. Igitur contrahens , paratus ex sua parte conven-  
tione stare , actionem habebit , ut adversarius placitis sta-  
re omnino cogatur.

224. Fideiussor non solum stipulatione , sed etiam pa-  
cto nudo hodie obligari potest.

225. Sufficit enim , ut nutu , aut signis consentiat in  
eo , de quo interrogatus fuit.

226. Obligatur etiam efficaciter quicunque responde-  
rit congruenter , et quomodocumque sive per se , sive per  
nuntium , aut epistolam , animum se obligandi declaret.

227. Valebit etiam stipulatio , cum quis simpliciter in-  
terrogatur , et sub conditione respondet ; aut viceversa:

228. Vel si ad kalendas interrogem , tu ad idus da-  
turum promittis.

229. Valida quoque erit stipulatio in triginta , cum  
ego rogem viginti , tu vero triginta promittis , et placet  
mihi tua responsio : imò etsi non illico placeat.

230. Cum quis alteri paciscitur , aut stipulatur , va-  
lebit etiam hoc pactum:

231. Et adquiritur ei actio directa.

232. Pactio fideiussoris reo principali nunc prodest,  
atque etiam caeteris confideiussoribus.

233. Pactio ne à me , neque à Titio petatur , prodest mihi ,  
et Titio.

234. Si quis sibi et Titio decem dari fuerit pactus ,  
obligatio in decem valet.

235. Cum unus ex sociis communi praedio servitu-  
tem stipulatur , utilis pactio est.

236. Qui factum alienum promittit , non solum se  
curaturum , ut fiat , obligatur , sed factum praestare.

237. Si vero tantummodo promittit se curaturum , ut  
alius faciat , adhibere solum debet curam et diligentiam ,  
ut ille faciat.

238. Valida quoque erit pollicitatio obligationemque  
efficacem producit.

239. Valet etiam donatio in absentia facta , etsi nullius vel epistola non interveniat:

240. Neque revocare eam potest donator , etiam antequam donatarius eam ratam habeat.

241. Donator revocare non potest donationem adiecto pacto in tertii favorem , etiam si ille tertius , aut Notarius eius nomine , non adhuc acceptaverit.

242. Caeterum non valet conventio , quando deest consensus et animus se obligandi ; veluti cum quis per iocum aliquid promittit.

243. Idem iuris est , cum quis per errorem promittit.

244. Simplex promittentis dictum non probat , se obligari ad donandum voluisse.

245. Igitur si quis inter loquendum dixerit : *dignus est Titius ut centum ob hoc beneficium dem* , non est obligatus ad dandum.

246. Item nulla erit obligatio , si dixero *Titio , tolle pecuniam istam , quam praesentem habeo*.

247. Ex diuturna praestatione donationis titulus , nisi aliunde probetur , non presumitur.

248. Neutquam obligatur , qui urbanitatis et officii causa se , suaque bona pollicetur.

249. Neque etiam , si quis promisserit sub conditione impossibili.

250. Cum inter pacientes convenerit , ut conventio in scriptis fiat , potest alter altero invito recedere , antequam scriptura fiat.

251. In scriptis fieri conventionem intelligitur , cum in contrahendo de confienda scriptura mentio habita est;

252. Licet non fuerit adiectum , ut sine scriptura non valeret conventio;

253. Nisi ex coniectura alia constet , voluisse pacientes , ut statim valeret contractus;

254. Veluti si vendor praestet rem venditam , emptorque pretium tradat , valet statim contractus ; etiamsi de scriptura tempore contractus mentio fuerit facta.

255. Res, quae Romanorum iure non obligari poterant, neque nostro possunt.

256. Res itaque sacrae, religiosae, publicae, aliaeque similes, nec promitti, nec obligari possunt.

257. Idem dicimus de personis, quae pacisci non poterant:

258. Nam nec pupilli, neque minores possunt obligari.

259. Qui rem maioratus praestare promittit, inutile pactum init; adeo ut nec aestimationem praestare teneatur.

260. Pacta, quae fiunt dolo malo, adversus leges, aut adversus bonos mores, efficacem obligationem non producunt.

261. Fideiussor in duriorem causam, quam debet reus principalis, obligari non potest:

262. Nisi fideiussioni iusiurandum accesserit; quo casu omnino obligabitur fideiussor, licet plus quam principalis promittat.

263. Caeterum ut fideiussor teneatur, opus non est, ut adhibeatur in eandem rem, aut obligationem, quam reus principalis:

264. Dummodo non fiat durior illius conditio.

265. Cum igitur pro Tirio centum aureos debente, ego centum tritici modios fide mea esse iubeam, valida erit prorsus fideiussio, si pretium tritici non pluris sit, quam pecunia debita.

266. Qui in respondendo utitur verbo impersonali, veluti si responderit: *satisfiet tibi*: *bene se res habebit*, aliisque simili modo, non obligatur:

267. Si autem verbum impersonale ad executionem tantum dirigatur, ut si dixerit: *promitto, quod tibi satisfiet*, valida erit haec obligatio.

268. Qui promittit adiiciens causam, quam scit, non subesse, efficaciter obligatur:

269. Quo casu, donasse videtur.

270. Caeterum si contrahentes causam adiecerint, quam putabant adesse, et non inerat, repelli potest stipulator doli mali exceptione.

Quod

271. Quod etiam procedit , quando causa inerat conventionis tempore , et postea finita fuit , aut secuta non est.

272. Qui simpliciter aliquid promittit , nullamque causam adiicit , efficaciter obligatur.

273. Quod procedit tam in pacto , quam stipulatione.

274. Caeterum in cautione privata , opus est , ut causa exprimatur.

275. Cum enim cautio privata indistincte loquatur , non cogitur creditor solvere ; nisi debitor aliunde prober sibi deberi , quod in cautione continetur .

## *DE SERVITUTIBUS.*

EX DIG. LIB. VIII. COD. LIB. III. TIT. XXXIV.  
Part. III. Tit. XXXI.

276. **S**Er vitus , de qua hic sermo instituitur , est ius in re aliena alteri constitutum , quo dominus , quod huic alteri commodum sit , aliquid in suo pati , aut in suo non facere cogitur.

277. Servitum nomine praediales tantum per excellentiam intelliguntur.

278. Praedialis servitus ea est , quae praedio alieno inhaeret ad vicini praedii utilitatem , et commodum.

279. Sicut praedia aut rustica , aut urbana sunt , ita servitutes illis impositae , aut urbanae , aut rusticae sunt.

280. Servitutes urbanae sunt , quae aedificiis ad habitandum comparatis inhaerent.

281. Nihilque interest , an ruri , an in urbe constructa sint.

282. Urbanae servitutes ratione finis non immerito ad tres classes ab aliquibus reducuntur.

283. Quaedam constitutae sunt ad aedes vicini exten-

dendas: aliae ad aedium interiorem commoditatem: aliae vero ad aedes exonerandas.

284. Ad primam pertinet ius tigni immittendi, et oneris ferendi.

285. Ut sciatur, quaenam ex his servitutibus sit constituta, attendenda sunt verba, quibus fuerit imposita, quae si dubia fuerint, praesumendum potius est concessum ius tigni immittendi, quam oneris ferendi.

286. Ad eandem spectat servitus proiiciendi à superioribus valde distincta.

287. Falluntur, qui putant hanc servitutem esse ius effundendi aliquid in aream alienam, ut aquam, quisquillas, cet.

288. Nemo, servitute non constituta, potest tignum proiicere supra solum alienum:

289. Neque supra eum locum, quo vulgo iter fit, praecipue si de facili potest cadere, et nocere.

290. Proiecta tamen, et immissa sine constituta servitute dirui non possunt privata auctoritate eius, cuius iniuria fit;

291. Et si sustulerit, tenebitur lege Aquilia.

292. Ad secundam classem pertinent servitus altius non tollendi, cuius praecipuus finis est, ne luminibus vicini officiatur altius aedificando.

293. Quilibet naturae lege quidvis in suo facere potest, dum in alienum nihil immittat; licet altius tollendo vicino incommodet, lumina eius obscurando.

294. Quamquam haec servitus adiecto fine, nempe ne luminibus officiatur, fuerit constituta, non duplex, sed una dumtaxat erit:

295. Nec eius ratione poterit quis viridaria vicino prohibere, licet propterea aedes obscurrentur.

296. Ab hac servitute longe distat servitus altius tollendi.

297. Pertinet huc etiam servitus, ne luminibus vicini officiatur, cuius ratione prohibere possumus vicino, quidquid ad luminis impedimentum sit, veluti viridaria in summis tectis ponere.

298. Servitus haec à luminum servitute minimè distinguitur; sed una eademque est pluribus his nominibus designata, scilicet lumen, ius luminum, et ne luminibus officiatur.

299. Falluntur, qui huiusmodi servitutem accipiunt pro iure, quo nobis, aperto pariete nostro, liceat, fenestras in eo positas habere, luminis accipendi gratia; hoc enim ius non servitutis, sed libertatis est.

300. In pariete in totum, aut ex parte alieno, neuter invito socio fenestras immittere potest sine fenestrae servitute constituta.

301. Spectat etiam huc alia servitus, quae cum una sit, modo prospectus, modo ius prospectus, modo ius ne prospectui officiatur, dicitur.

302. Si hanc servitutem habemus, prohibere possumus, ne vicinus aliquid agat adversus gratiorem et liberum prospectum nostrum; licet alias lumina aedium nostrarum obscuriora non fiant.

303. Ad tertiam autem classem pertinent servitutes stillicidium, aut flumen avertendi, vel non avertendi.

304. Similiter servitutes cloacae immittendae, et fumi immittendi.

305. Quisque ratione libertatis immittere fumum potest, licet aedibus vicinis incommodet;

306. Quod ita intelligendum est, si ignem solitum, et consuetum pro suo usu, et familiae facit:

307. Secus vero si ignem insolitum faciat, comburendo scilicet paleas vel stramen.

308. Sequuntur rusticorum praediorum servitutes, vel quae praediis non habentibus aedificia inhaerent, aut aedificiis rusticis.

309. Ad tres etiam classes revocari possunt: ad primam pertinent, quae per alienum fundum, ut ad nostrum perveniamus, constituuntur: ad secundam illae, quibus ex vicino praedio sumere possumus, quod ad usum praedii nostri, aut pecorum, quae praedii causa habentur, utile est: ad tertiam demum, ut praedium nostrum onere, quo intus premitur, exoneretur.

310. Ad primam spectant. 1. Iter , quod est ius eundi , ambulandi hominis , non etiam iumentum agendi , vel vehiculum.

311. Qui hanc servitutem habet , non solum pedes , verum et eques commeare potest , imo sella , et lectica gestari ; non autem rheda aut carruca , licet rebus aliis non oneretur.

312. Quamvis veteres Iureconsulti nullam certam latitudinem itineri praescripserint ; dicere tamen possumus angustiorem eius locum duorum pedum latitudine , ut minimum , esse finiendum.

313. Si in huius servitutis constitutione latitudo non fuerit definita , ab arbitro loci praescribenda est , ita quidem ut possimus lectica aut sella ferri:

314. Non tamen ut hexaphoro , aut octophoro feramur.

315. 2. Actus , qui est ius agendi vel iumentum , vel vehiculum.

316. Qui actum habet , iter quoque habere intelligitur , non verbi proprietate , sed ex tacita paciscentium voluntate.

317. Haec enim servitus constitui potest , et separari ab itineris servitute.

318. In hac servitute nulla etiam est latitudo iure definita : iudicamus tamen actus finem minimum quatuor esse pedum.

319. 3. Via , quae est ius eundi , et agendi , et ambulandi hominis.

320. Haec viae servitus in se continet omnia itineri , atque actui , qualicumque ratione convenientia.

321. Latitudo viae legibus duodecim tabularum praescripta est , octo scilicet pedum in porrectum , sive qua recta tenditur ; et sexdecim in anfractum , propter commodum ducendi vehiculum.

322. Potest tamen latior et angustior constitui , modo vehiculum per illam ire possit.

323. Qui hanc servitutem alteri debet , curare oportet , ut ea perpetuo munita et apta sit ad vehiculi commoditatem.

Hac

324. Hac cura neglecta , tribuitur domino praedii dominantis ius vehiculi ducendi per fundum servientem, quo cumque velit , parcendo quantum fas sit et vineis , et satis.

325. 4. A quaeductus , qui est ius aquae ducendae per fundum alienum : idque sive fiat forma structili, sive plumbeis fistulis , aut ligneis canalibus.

326. Si aqua publica est , eam ducere cuivis licet ; nisi statuto aliquo vetitum sit , aut navigationi , aliive publico usui praeiudicium fiat.

327. Si vero aqua est privata , exquirenda est voluntas omnium , qui ius aquae illius habent.

328. Quamvis origo huius servitutis ortum habuerit à solo fine agri siccandi rigandi , quatenus ei opus fuit , et non ultra ; fori tamen disputatione inductum postea fuit, ut aqua duci posset non tantum rigandi agri causa , sed etiam propter alias domini commoditates.

329. Ad secundam rusticarum servitutum classem spectat aquae haustus , qui est ius hauriendae vicinae aquae ad usum fundi , vel familiae rusticae.

330. Qui haustum habet in privato fonte , iter etiam habere intelligitur ; quin intersit , an concessum sit ius hauriendae , aut adeundi , aut utrumque.

331. Hanc servitutem qui habet , uti eo debet modo , quo sibi est concessa ; nec alii cedere potest , nisi domino aquae volente;

332. Ille autem qui eam debet , nihil facere potest , quominus impediatur huius servitutis usus.

333. Pertinent etiam huc pecoris ad aquam appulsus , et ius pascendi.

334. Dominus praedii servientis non potest ad culturam fundum suum reducere , si per eam iuris pascendi servituti nocet ; contra autem , si non nocet , aut prodest.

335. Plures aliae sunt huius classis servitutes rusticae , ut puta ius calcis coquendae , arenae fodiendae , ius praelli sive torcularis , innumeraeque aliae pro diversa rei rusticae ratione , et paciscentium voluntate.

336. Ad servitudes , quibus praedium nostrum onere , quo

quó intus premitur , exoneratur , spectat , ius aquam nostram sulco aperto educendi in vicini fundum ; aliaque iura , quae excogitari , et constitui possunt.

337. Iam de servitutibus urbanorum , et rusticorum praediorum separatim , videamus nunc quae utriusque servitutis generis sint communia.

338. Primo in eo conveniunt , quod utraque servitus duo desiderat praedia , unum dominans , alterum serviens ; eaque vicina.

339. Vicinitas haec non à praediorum contigitate , sed ab utendi opportunitate est aestimanda.

340. Non igitur eam tollet intermedium praedium , quod non impedit liberum usum servitutis.

341. Nec flumen publicum interveniens vicinitatem impedit , si agatur de viae servitute , sive vado transiri possit , sive pontem habeat.

342. Insuper in eo conveniunt , ut servitus dominanti praedio utilis esse debeat.

343. Amoenitas utilitas est ; propterea nihil oberit quominus vicino praedio imponatur servitus in eum dumtaxat finem , ut fundus noster amoenior fiat.

344. Ut pomum decerpere , vel ut spatiari , aut coenare in alieno possimus , servitus praedialis imponi non potest.

345. Cum mihi concedas , ius tibi non esse per fundum tuum ire , aut ibi consistere , nec servitutem ullam adquiram , nec quidquam utiliter agitur.

346. Si autem mihi concesseris , ius tibi non esse , in fundo tuo aquam quaerere , minuenda aquae meae gratia , servitutem acquiram.

347. Olim vis omnis , atque utilitas praedialis servitutis fine , modo , et necessitate praedii solius terminabatur , ad domini autem commoditatem et voluntatem neutiquam porrigebatur.

348. Postea autem inductum fuit , ut servaretur servitus ita posita , ut à domino non iure suae personae , sed praedii perciperetur , tanquam id pretiosius et melius efficiens .

Dein-

349. Deinde conveniunt servitutes praediales in eo, quod nulla imponi potest, ut quis cogatur aliquid in suo facere, veluti ut viridatia tollat.

350. Unam tantum excipimus, servitutem nempe oneris ferendi.

351. Omnes servitutes perpetuam causam habere debent.

352. Causa servitutis id dicitur, cuius arcendi à nostro, aut in nostro habendi gratia servitus constituta est.

353. Perpetuum hic dicimus, quod ex naturali causa oritur; etsi assiduè non fiat.

354. Communes etiam sunt utrique servitutum generi modi eas constituendi.

355. Constituuntur enim vel à Iudice, vel à domino, vel nostra longa possessione.

356. A Iudice constitui possunt ex necessitate, ut puta in iudiciis divisoriis: à domino autem ex arbitrio.

357. Nullus privatus potest servitutem praedio imponere, nisi qui dominus eius est; neque etiam acquirere.

358. Excipiens est militis pater, qui praedio ex peculio castrensi servitutem acquirere potest; non autem imponere.

359. Ut servitus à domino constituantur, opus est, ut dominus sit in solidum, seu totius praedii.

360. Praedio autem communi unus ex dominis ne quidem pro sua parte servitutem imponere potest.

361. Cum omnes vero domini eodem tempore servitutem cesserint, constituta erit.

362. Sed etsi diversis temporibus eam concesserint, novissimo actu intelligetur constituta.

363. Si antequam novissimus cesserit, ille, qui prius cesserat, prohibere intenderit utentem iure cesso, non est audiendus.

364. Cum unus ex dominis cessit, et alter ante cessionem moriatur, vel praedium vendiderit, necessaria erit heredis, seu emptoris cessio, ut servitus constituantur.

365. In persona servitutem acquirentis idem procedit, quod dicimus de ea , quae debere intendit.

366. Et in pluribus acquirentibus eadem distinctio est, quae in pluribus constituentibus.

367. Licet dominus praedii dominium statim sit amis- surus ; potest tamen et imponere , et acquirere servitutem.

368. Heres igitur poterit servitutem imponere praedio, quod testator sub conditione legavit , ea scilicet pendente.

369. Emphiteuta servitutem praedio emphiteutico ad- quirere potest , et imponere.

370. Non idem iuris est fructuario in praedio , cuius usumfructum habet.

371. Potest tamen fructarius servitutem retinere ; et eam non utendo amittere.

372. Cum ita amissit , proprietario eo nomine tenetur.

373. Constituitur à domino praedii servitus duobus modis , conventione scilicet , et ultima voluntate.

374. In constitutione conventionali duo ad acquirendam servitutem desiderantur , pactum nimirum ad trans- ferendum dominium idoneum , et factum , quod traditio- nem repreäsentet.

375. Huiusmodi factum est usus acquirentis , et pa- tientia constituentis.

376. Vel inductio in praedium serviens.

377. Antiquitus frequens erat cessio.

378. Suprema voluntate servitus constituitur , cum ali- cui legatur.

379. Quando ita constituitur servitus , acquiritur sine cessione ulla , aut traditione.

380. A Iudice constituitur in iudicio familiae erciscun- dae , cum ex fundis, quos adiudicat , alium alii servum facit.

381. Idque ita , dummodo tempore , quo adiudicat , servitutem imponat.

382. Si autem unum purè adiudicaverit , alium alteri postea adiudicando , servitutem imponere non potest.

383. Neque etiam efficere potest , ut fundus heredita- riū fundo non hereditario serviat.

384. A lege autem servitus imposita praediis , nulla invenitur.

385. Conveniunt item servitutes in eo , quod longa nostra quasi possessione acquiri valeant.

386. Idque duobus modis contingere potest : 1. cum quis servitutem a non domino , quem dominum esse crediderit, constitutam per legitimum tempus quasi possederit.

387. Tempus legitimum constituent decem anni inter praesentes , et viginti inter absentes.

388. Cum ita constituitur servitus , scientia veri domini non est necessaria.

389. Titulus vero ad transferendum dominium intervenire praecise debet.

390. 2. Acquiritur etiam longa nostra quasi possessio ne , cum quis servitute usus fuerit per legitimum tempus nec vi , nec clam , nec precario;

391. Quo casu , scientia veri domini , et patientia necessaria est;

392. Titulus autem non desideratur.

393. Servitutes ipso iure , neque ex tempore , neque sub conditione , neque ad tempus , neque ad certam conditionem constitui possunt.

394. Cum autem haec adiiciuntur , per pacti vel dolii exceptionem repelli potest vindicans servitutem adversus huiusmodi placita.

395. Servitus ita constitui potest , ut duo alternis diebus utantur.

396. Nihil etiam impedit , quominus ita constituatur , ut dumtaxat interdiu uti quis possit.

397. Servitus recte constituta pars praedii non est:

398. Praedium tamen afficit , et in quemcumque eius possessorem transit ; tam activè , quam passivè;

399. Et procedit , quamvis praedium fuerit publicatum.

400. Communia etiam sunt remedia ad tuendam servitutem constitutam ; et contra , ad libertatem defendendam comparata.

401. *ad* Actionem ad petendam in iudicio servitutem est confessoria.

402. *de* Actor in hoc iudicio, non sufficit, ut probet servitutem sibi esse promissam; sed probare debet sibi fuisse constitutam.

403. Haec confessoria actio non solum adversus servientis praedii dominum datur, sed etiam adversus eos omnes possessores, qui quoquo modo servitutem impediunt.

404. Iudex, cui in hoc iudicio probatum est servitutem deberi, non constituere, sed eam declarare petitoris debet.

405. Item et iubere reo, ut restituat, quod agentis interest propter usum prohibitum.

406. Si reus huic iussui pareat, absolvitur; si parere recuset, tanti condemnatur, quanti actor in item iuraverit.

407. Libertas praediorum nostrorum petitur per actionem negatoria.

408. Negatoria merito appellatur, dum per eam negamus esse adversario ius nobis invitis eundi v. g. per praedia nostra.

409. Competit negatoria actio domino proprietatis, adversus eos, qui libertatem praedii nostri impediunt vel imminuunt; servitutem scilicet usurpando aut intendendo.

410. Iudicis officium in hoc iudicio idem est, quod in actione confessoria.

411. Conveniunt denique servitutes in modis amittendi.

412. *de* Amittitur igitur servitus, cum idem utriusque praedii dominantis et servientis factus est dominus.

413. Amittitur etiam, si dominus praedii, cui debetur servitus, eam remisserit; idque sive expressè, sive tacite.

414. Tacita remissio est, cum permisero domino praedii servientis, ut aliquid in eo faciat, quod mihi usum servitutis impedit.

Amit-

415. Amittitur quoque non utendo per tempus legitimum.

416. Sufficit tamen ad retinendam servitutem usus cuiuscumque , qui nostro nomine , aut causa utatur:

417. Vel usus alterius , qui in possessione praedii dominantis sit:

418. Licet malae fidei possessor fuerit:

419. Dummodo nomine , seu ratione praedii usus sit; et quidem iure servitutis constitutae praedio.

420. Amittitur non utendo etiam servitus , cum quis non utitur servitute constituta , licet alio modo utatur:

421. Veluti qui nocturnam aquam habet , et interdiu solum aqua utitur.

422. Idem est in eo , qui certis horis aquaeductum habet , et aliis usus est , nunquam tamen parte ulla earum horarum.

423. Qui haustum habet , et nunquam aquam hausit, sed solum ad fontem ivit , iter quoque amittet.

424. Etiam si ignoremus servitutem nostram esse , eam non utendo amittimus.

425. Neque servitute usus videtur , nisi is , qui suo iure uti se credidit.

426. Igitur si quis pro via publica , vel pro alterius servitute usus sit , nec interdictum , nec confessoria actio ei competit utiliter.

427. Tempus , quo usus non est praecedens fundi dominus , cui servitus debetur , imputatur ei , qui eius loco successit.

428. Quod procedit tam in successore singulari , quam universali.

429. Ut servitutes urbanae non utendo amittantur , opus est , ut dominus praedii servientis libertatem usuceperit.

430. Haec autem libertas non usucapitur ex eo tantum , quod legitimo tempore dominus non aedificaverit.

431. Regio nostro iure servitutes , quae continuae dicuntur , non acquiruntur solo usu decem , vel viginti annorum , sed tempore quod hominum memoriam excedat.

432. Contrarium evenit in eis , quae discontinuae appellantur.

433. Quod attinet ad amittendas servitutes , omnia inverso modo se habent.

434. Illae autem , quae quasi continuae sunt , continuarum ius sequuntur.

435. Servitus continua illa dicitur , cuius usus , quantum ex se est , perpetuo et continuè durat.

436. Quasi continua illa erit , cuius usus continuus foret , si causae naturales ad eum necessariae concurserent.

437. Discontinua illa est , cuius usus positus est in hominum actionibus , quae interrupte fiunt.

## DE REBUS CREDITIS.

EX DIG. LIB. XII. TIT. I. COD. LIB. IV.

Tit. II. Part. V. Tit. I.

438. **V**erba haec *res creditae* generaliter sumpta , omnes contractus , quos alienam fidem secuti instituimus , significant.

439. Caeterum si in specie sumantur , mutuum solum denotant , seu res mutuo datas , de qua contractus specie agitur praincipiè hoc loco .

440. Mutuum igitur est contractus , quo res , quae pondere , numero , et mensura constant , alicui ita dantur , ut eius fiant ea lege , ut is quandoque reposcenti creditori , tantundem ex eodem genere reddat.

441. Mutui contractus stricti iuris est.

442. Ex uno tantum latere obligationem pariens.

443. Et ex eorum genere , qui re perficiuntur.

444. Licet enim nullam verborum solemnitatem desideret ; oportet tamen rei traditionem intervenire.

445. Si igitur inter contrahentes convenerit , ut alius al-

alteri certam pecuniae summam mutuo det , mutuum non erit ; nisi pecunia tradatur.

446. Id ita procedit , ut nec ultra quantitatem datam obligatio contrahi possit.

447. Nihil tamen interest , an traditio vera sit , an ficta:

448. Et cum ficta , an symbolo fiat , an brevi manu.

449. Materia sive obiectum huius contractus , sunt tantum res , quae pondere , numero , et mensura constant , seu usu fungibles.

450. Huiusmodi res sunt triticum , vinum , cet.

451. In carne et pane ad pondus potest consistere mutuum.

452. Non autem in ovibus , et arietibus adhuc ad numerum.

453. Consistet vero in lignis , tegulis , et lapidibus.

454. Qui rem mutuo dat , eius dominum esse oportet.

455. Utilitatis causa inductum est , ut si quis alienos nummos mutuos dederit , iisque ab accipiente bona fide consumpti sint , mutuum oriatur.

456. Quamvis qui dedit , consumptionem ignoraverit:

457. Aut furiosus factus fuerit , cum consumptio acciderit.

458. Si pecuniam meam tuo nomine , et voluntate tua mutuam dedero , condictio ex mutuo tibi competit.

459. Idem dicimus , si te absente et ignorantie pecuniam mutuam tuo dederim nomine.

460. Caeterum si tu ratum non habes , datur mihi tunc actio utilis.

461. Servus non potest mutuam pecuniam dare:

462. Nisi ei liberam administrationem peculii dominus concesserit.

463. Nec pupillus mutuare potest sine tutoris auctoritate.

464. Caeterum si pecunia ab accipiente bona fide fuerit consumpta , convalescat mutuum.

465. Idem dicimus de minore curatorem habente.

Si

466. Si verol minor curatorem non habuerit, exceptanda non est consumptio.
467. Nec mutuum valebit, si à furioso pecuniam quasi mutuam acceperis.
468. Nisi putares eum esse mentis compotem, et bona fide pecuniam consumpseris.
469. Quod exaudiendum est etiam de prodigo.
470. Filius familias pecuniam patris mutuo dare non potest; eaque extante, non condictio certi, sed rei vindicatio patri competit.
471. Magistratus Provinciales mutuam pecuniam prohibentur dare:
472. Praesidis vero Officialibus permititur.
473. Neque Exactores, Tabularii, Arcarii, possunt pecuniam fisci mutuo dare.
474. Ludens ludenti secum mutuare non potest.
475. Si centum nummos mihi et tibi communes crediderim, quinquaginta condicere possum.
476. Pro aliis quinquaginta non competit condictio, nisi fuerint consumpti.
477. Mutuum etiam fit, cum pecunia aliena mutuantur, et dominus ratum habet.
478. Ut obligatio mutui constituantur, debent eo animo dari, et accipi numimi.
479. Igitur si unus dat tamquam donaturus, alter accipiat tamquam mutuum, non fit mutui contractus.
480. Effectus huius contractus est, ut, qui rem mutuo accipit, eius dominium acquirat.
481. Potestque eam pro suo commodo et libitu consumere:
482. Tenetur tamen tantumdem eiusdem generis creditori restituere:
483. Et eiusdem qualitatis seu bonitatis.
484. Mutui natura non patitur conventionem, ut pro vino accepto triticum restituatur.
485. Cum igitur contrahentes tale inierint pactum, contractus in permutationem evadet.

486. Debitor cogere non potest creditorem , ut pro tritico mutuo accepto , recipiat farinam:

487. Nec vice versa.

488. Caeterum qui pro nummis , quos mutuos acceptat alios diversae materiae seu formae , eiusdem tamen valoris reddit , idem genus censemur reddere.

489. Liberum itaque erit mutuatario nummos aureos reddere pro argenteis acceptis , et vice versa , cum eandem aestimationem habeant:

490. Nisi creditor ex ea re damnum passurus sit.

491. Si postquam nummi fuerint crediti , eorum valor intrinsecus mutatus sit , ea aestimatione reddendi sunt , quam tempore contractus habeant.

492. Si vero non valor intrinsecus , sed solum extrinsecus et imposititus fuerit mutatus , reddendi sunt nummi secundum aestimationem , quae tempore solutionis viget.

493. Huius contractus naturae non obest pactum , ut minus , quam accipitur , reddatur.

494. Neque quod contrahentes adiiciunt de re eiusdem generis , sed deteriore reddenda.

495. Aliud iuris est , si contrahentes convenerint , ut plus reddatur , quam acceptum est:

496. Vel ut reddatur res melior , quam quae debitori traditur.

497. Prohibendus tamen non est debitor rem meliorrem reddere , si velit.

498. Cogi non potest creditor , qui simpliciter contraxit , rem deteriorem accipere.

499. Potest debitor eandem speciem seu individuum , ut philosophi amant , quam accepit , si forte ea usus non sit , reddere , et eo modo ab obligatione absolvi.

500. Non tamen liberatur interitu rei acceptae , quantumvis fortuito.

501. Aestimationem loco rei creditae dare debitori non licet invito creditore.

502. Cum debitor reddit rem eiusdem generis , ea-

E dem-

demque quantitate et bonitate , suoque loco , et tempore , omnino liberabitur.

503. Licet tempore solutionis de pretiata res sit.

504. Cum aestimatio praestanda est , et à contrahentibus expressum fuit tempus ad rem reddendam , eius temporis aestimatio servanda est.

505. Si tempus expressum non fuerit , habenda est ratio illius temporis , quo petitur res.

506. Si fuerit conventum , ut certo loco redderetur res mutuo accepta , quanti eo loco esset , solutio est facienda.

507. Si vero nihil de loco fuerit dictum , locus , ubi petitur , aestimationem dabit.

508. Tempus , quo debitor tantundem reddere debet , ex arbitrio pendet dantis , qui , cum sibi placuerit , restitutionem petere potest.

509. Iure autem Regio , cum tempus non est praefixum à contrahentibus , non nisi post decem dies potest creditor rem mutuo datam repetere.

510. Actio , ex hoc contractu orta , est certi condictio , quae ut species continetur in certi condictione ut genus sumpta.

511. Cum creditor hac agit actione , non sufficit dicere sibi certam rem deberi , sed aliunde adiicere debet ex causa mutui.

512. Competit haec actio ei , qui mutuum dedit suo nomine , modo sit paterfamilias.

513. Cum filiusfamilias rem mutuo dat , non ei , sed patri , in cuius est potestate , conceditur actio:

514. Nisi alibi agens studiorum causa , à patre missum viaticum mutuo dederit ; quo casu , adiuvatur filiusfamilias actione utili , sive in factum ad mutuum petendum.

515. Datur haec certi condictio adversus eum , qui rem mutuo accepit.

516. Idque ita , si iure posset accipere.

517. Accipere mutuum possunt nedum privati , sed et Magistratus.

518. Pupillus , rem mutuo accipiens sine tutoris auctoritate , non obligatur:

519. Nisi locupletior factus sit.

520. Idem dicimus de minore curatorem habente.

521. Cum minor non habet curatorem , accipiendo rem mutuam iure civili obligatur:

522. Sed potest in integrum restituī.

523. Cum civitas mutuam pecuniam accepit , obligatur , si in eius utilitatem versa sit:

524. Aliter , non Civitas , sed ipsi Senatores , qui contraxerint , tenebuntur.

525. Iure Regio debet creditor probare pecuniam mutuo traditam civitati in eius utilitatem fuisse impensam.

526. Non tamen , hanc utilitatem permanere tempore quo agit.

527. Imò etsi pecunia fortuito casu perierit , antequam in utilitatem fuerit versa , tenetur civitas.

528. Haec utilitas sufficienter probatur , si tempore contractus civitas aliquam habebat necessitatem , quae paulo post mutuum acceptum cessavit.

529. Praesumitur quoque utilitas ex transcursu longi temporis.

530. Non tamen sufficit probare mutuum ad civitatem pervenisse.

531. Filiusfamilias mutuam pecuniam accipiens cogi non potest ad eam reddendam.

532. Nec Pater ex mutua pecunia tradita filio tenetur.

533. Nisi filius mutuam pecuniam in rem Patris vertisset:

534. Aut nisi iussu , vel consensu Patris mutuum accepit.

535. Si filiusfamilias se fingens Patremfamilias mutuam pecuniam acceperit , tenetur ex hoc contractu ; dummodo qui tradidit , ignoret esse filiumfamilias.

536. Cum Pater filium suum tabernae , aut cuilibet alii negotiationi p̄aeponit , tenetur actione institoria ex pecunia mutuo accepta à filio:

537. Dummodo mandatum habeat de mutuis pecuniis accipiendois:

538. Vel si pecunia erogatur in mercis comparationem , cui emenda filius praepositus est.

539. Non etiam illud exigitur , ut ipse creditor curam suscipiat , ut in negotiationem pecunia erogetur;

540. Sufficit , si in hoc crediderit.

541. Cum filius praepositus est alicui navi , cui reficiendae mutuam pecuniam accepit , tenetur pater actione exercitoria.

542. Neque creditor adstringetur ad hoc , ut ipse curam reficiendae navis suscipiat ; aut probet , pecuniam in refectionem erogetam fuisse.

543. Caeterum non alijs utiliter creditor aget , nisi , cum pecunia crederetur , navis in ea causa fuerit , ut refici debaret:

544. Et ea lege credita sit , ut in refectionem navis impenderetur:

545. Et non maiorem summam crediderit , quam ad eam rem esset necessaria:

546. Et in eo loco crediderit , ubi id , propter quod pecunia creditur , comparari potest:

547. Sciens denique eum , cui credit , magistrum ei navi praepositum.

548. Idem dicimus de servo , qui praepositus à suo domino est sive navi , sive tabernae aut negotiationi , cum mutuam pecuniam accipit.

549. Novissimo iure Regio filiusfamilias , et minor , nec ex mutuo pecuniae , nec ex aliis contractibus , ex quibus aliquid sub fide accipiunt sine consensu Patris vel curatoris , obligari possunt.

550. Officium Iudicis in hoc iudicio non porrigitur ad reum condemnandum in plus aut minus ; sed tantum potest vel reum absolvere , vel eum in tantundem condemnare.

551. Igitur Iudex reum condemnare non poterit ad solvendas usuras. Idque sive mora interveniat , sive non.



**DE REBUS EORUM, QUI SUB TUTELA  
vel cura sunt , sine decreto non alienandis vel sup-  
ponendis.**

**EX VARIIS DIG. COD. ET PARTIT. LOCIS  
maxime ex Lib. Dig. XXVII. Tit. IX.**

**DE REBUS EORUM, QUI SUB TUTELA VEL CURA  
sunt , pro temporum varietate alienari  
prohibitis.**

552. **P**rimis urbis conditae saeculis , tutor et cura-  
tor liberrimam habuerunt facultatem alienandi omnes pu-  
pilli et minoris res cum mobiles , tum immobiles.

553. Quac facultas , cum minoribus valde esset peri-  
culosa , recte Principum constitutionibus fuit coangustata.

554. Septimius Severus anno U. C. 948. Tertullo , et  
Clemente Consulibus , eam tutorum et curatorum liberta-  
tem primus temperavit oratione sua , ad quam postea se-  
natusconsultum factum est.

555. Interdixit sua oratione Severus tutoribus et cu-  
ratoribus praedia rustica vel suburbana pupillorum vel mi-  
norum , sine decreto Praetoris distrahere.

556. Res itaque , quae Severi oratione alienari prohi-  
bentur , sunt praedia solum rustica seu suburbana.

557. Rustica praedia dicuntur agri omnes , qui fru-  
ctus ferunt:

558. Item aedificia , quae rustico usui veluti fructibus  
colligendis , et rei rusticae instrumentis continendis de-  
stinata praecipue sunt.

559. Idque sive in agro , sive in urbe sint.

560. Aedificia autem , quae habitandi causa parata et  
con-

constructa sunt , sive in urbe , sive in agro , urbana appellantur praedia , quae ad Severi orationem non pertinent.

561. Quod ad rem nostram spectat , non distinguimus , an praedia rustica pleno iure , et sine ullo onere pupillo acquisita sint ; an vero sint emphyteuticaria.

562. Cum lapidicinas , vel quae alia metalla pupillus habet , prohibetur alienatio non ex verbis , sed orationis sententia .

563. Idem est dicendum , si salinas , vel quid simile , pupillus habeat.

564. Eidem distractionis prohibitioni subiacet fundus pupillo oppignoratus , cum impetraverit , ut iure dominii possideret.

565. Item cum alienum fundum bona fide emptum habet.

566. Etiam cum ex causa damni infecti iussus est pupillus possidere.

567. Prohibetur eodem modo tutor remittere fundum usumfructum , aliquam servitutem , quam pupillus habet.

568. Et etiam fundo pupilli vel adolescentis servitutem ullam imponere.

569. Prohibuit etiam sua oratione Severus tutoribus et curatoribus rusticos servos pupillorum aut minorum sine decreto Praetoris distrahere.

570. Quod quidem exaudiendum est non solum de illis servis , qui glebis ac culturae sunt adscripti , sed etiam de omnibus aliis , qui rei rusticae operam navant.

571. Urbana autem praedia , et mancipia , caeteraque res pupillorum aut minorum , tutores et curatores , inconsulto etiam Praetore , non modo potuerunt post Severi orationem , sed et distrahere debuerunt.

572. Adstringebantur tutores et curatores ex pecunia redacta , ex earum rerum venditione , idonea rustica praedia comparare , vel illam foenori dare.

573. Quamvis haec permissio aut necessitas alienandi , tutoribus vel curatoribus tributa , utilis initio visa fuisset , mul-

multum pupillorum et minorum utilitati adversabatur.

574. Idecirco Constantinus Imperator anno U.C. 1079. Valerio Constantino et Iulio Constantio Consulibus novo suo edicto tutoribus et curatoribus tam praedia urbana, quam res alias minorum et pupillorum, quae servando servari possunt, alienare prohibuit.

575. Quod attinet vero ad res, quae servando servari non possunt, liberam illis alienandi facultatem reliquit.

576. Res, quae servando servari non possunt, dicuntur illae, quae ultra triennium absque notabili deterioratione non durant.

577. Libera etiam relictā fuit facultas distrahendi vestes quotidianas saltem:

578. Et supervacua animalia.

579. Licet pecunia numerata servari possit, inductum famen est, ut etiam inconsulto Praetore à tutoribus et curatoribus valeat alienari;

580. Nisi ad rerum sub prohibitione comprehensarum emptionem fuerit deposita et destinata, quo casu absque Praetoris decreto nullatenus potest expendi.

581. Regio nostro iure res pupillorum aut minorum immobiles et mobiles saltem pretiosae, veluti vasa aurea et argentea, sine iuris solemnitatibus et iudicis decreto alienari minime valent.

582. Qui sub tutela aut cura sunt, nullo unquam tempore, res suas alienare sine auctoritate tutorum aut curatorum potuerunt.

583. Excipe foeminas vigintiquinque annis maiores, quae quo tempore sub perpetua tutela vivebant, inconsultis tutoribus res suas alienare non vetabantur: per naturalem scilicet modum transferendi dominii bonitarii.

584. Personae autem, quibus orationis Severi verbis distractio interdicitur, sunt tutores et curatores.

585. Quod procedit in omnibus tutoribus seu curatoribus tam testamentariis, quam legitimis, et dativis.

586. Igitur Pater filii, quem emancipavit, legitimus tutor, eius res in alienationis prohibitione comprehensas in

inconsulto Praetore distrahere minimè potest.

587. Caeterum si Pater filium aetate minorem in potestate habet, iusta causa intercedente immobiles aut mobiles quascumque adventitii peculii res alienare sine decreto non prohibetur.

588. Quamvis Severi oratio solum loquatur de curatoribus minorum vigintiquinque annis, extensa etiam fuit ad curatores furiosorum, prodigorum, omniumque, qui rebus suis superesse non possunt.

589. Non poterit igitur furiosi curator huiusmodi rem in prohibitione comprehensam sine decreti interpositione distrahere.

590. Haec autem alienationis prohibitio, sive Severi, sive Constantini sanctionem attendamus, procedit etiam in minoribus, qui sine curatoribus degunt.

591. Qua in re distinguendum non est, an masculi sint, an foeminae.

592. Minores viginti quinque annis, qui à Principe veniam aetatis impetrarunt, res immobiles alienare sine decreto non possunt:

593. Res autem mobiles, etiam si servando servari possint, alienare non prohibentur.

594. Uxoratus, qui iure nostro regio ab anno 18. incepto res suas administrare potest, si sint immobiles, alienandi facultatem non habet.

595. Curator furiosi, mente capti, et similiū personarum, qui rebus suis superesse non possunt, res alienari non prohibitas, liberam alienandi facultatem obtinet, prout negotiorum exegerit administratio.

### *DE ACTIBUS, QUI PROHIBITAE ALIENATIONIS nomine comprehenduntur.*

596. **O**Mnis actus, per quem dominium transfertur, prohibitae alienationis nomine absdubio comprehenditur.

597. Igitur res, quae sive ex Severi oratione, sive ex Con-

Constantini constitutione , sive ex iure nostro regio prohibentur alienari , in venditionis contractum inutiliter deducuntur.

598. Propter eandem rationem , non possunt inconsulto Praetore utiliter permutari.

599. In solutum datio , quae dominii translationem operatur , inter actus quoque prohibitos numerari debet.

600. Finge pupillum tutore auctore stipulanti pecuniam promisso , non poterit tutor fundum in solutum dare.

601. Et procedit , licet ipsum fundum stipulanti cum tutoris auctoritate spoponderit.

602. Transactio alienationis nomine etiam continetur ; ideo nec tutor nec curator , inconsulto Magistratu , super rebus alienari prohibitis transigere possunt.

603. Quae doctrina procedit non solum cum res ipsa alienari prohibita transactionis causa traditur ; sed etsi penes tertium possessorem ex eadem causa dimittatur.

604. Caeterum si res alienari prohibita , de qua lis est ; in patrimonio pupilli retineatur , interposita transactione inconsulto etiam Praetore subsistit :

605. Quamvis adversario aliqua pecuniae summa ipsius pupilli praestetur.

606. Hac ratione , in Hispanis maioratibus , de quorum bonis propter prohibitam eorum alienationem nec transigi , nec compromitti potest , utrumque subsistit , si possessor majoratus retentis bonis , de quibus contenditur , res alias liberas adversario praestet.

607. Divisio rei communis , inconsulto Praetore , fieri à tutori et curatore non potest inter ipsos minores.

608. Cum vero res alienari prohibita sit communis minori et maiori viginti quinque annis , minor socium maiorem ad divisionem provocare non potest.

609. Si autem minor à maiore provocetur ad divisionem , divisio sine decreto fieri valet.

610. Cum ambo socii sunt minores , neuter eorum ad divisionem provocare potest ; sed ambo provocationem expectare debebunt.

611. Idque procedit sive eosdem tutores et curatores habeant, sive diversos.

612. Potiori iure donatio sub prohibita alienatione comprehenditur.

613. In donationibus plurimum interest inter adultos, qui sine curatoribus degunt, et eos qui sub cura sunt.

614. Adulti, qui sine curatoribus degunt, res alienari prohibitas donare neutquam possunt; caeteras autem non prohibentur, quamvis possint adversus donationem restitui.

615. Id ipsum servatur in minoribus, qui à Principe aetatis veniam impetraverint.

616. Nisi quod hi in integrum restitui adversus validam donationem non possunt,

617. Cum minores curatorem habent, nullam rem donare possunt.

618. Idque procedit etiam, si accedat curatoris auctoritas.

619. Nec tutoribus ipsis aut curatoribus, rem ullam ex bonis, quae administrant, donare licet.

620. Quod ad remuneratorias donationes attinet, tam tutor, quam curator exercere eas valent ex bonis alienari non prohibitis secundum dignitatem, et facultates pupilli et minoris.

621. Hac ratione praceptoribus mercedes, servis alimenta, cognatis consueta munera, praestare possunt.

622. Egenis quoque minorum matribus, et sororibus, quae se aliter sustinere non possunt, ad victimum necessaria ministrare non prohibentur.

623. Consanguineis pupilli sororibus, quae aliter numero non possunt, dotem tutor dare valet:

624. Non vero si soror uterina sit, aut ex alio Patre nata.

625. Cum usucapio sit legitimus dominii transferendi modus, eam non recipiunt res eorum, qui sub tutela vel cura sunt, alienari sine decreto prohibitae.

626. Neque sola dominii translatio, quae strictè et pro-

propriè alienationis nomine denotatur per huiusmodi prohibitionem impeditur ; sed etiam comprehendit haec cuiuslibet alterius iuris in re translationem seu remissionem.

627. Hinc minorum praedia vectigalia alienari à tutoribus et curatoribus non possunt.

628. Neque praedia huiusmodi in emphyteusim concedi.

629. Censem super rebus minoris absque Praetoris decreto imponere , curatori non est permisum.

630. Nec censem minori debitum possunt curatores alienare inconsulto Magistratu:

631. Insuper nulla res alienari prohibita potest inconsulto Praetore pignoris vel hypothecae vinculo supponi aut obligari.

632. Neque pignus quod habet pupillus sive minor in re debitoris alienari prohibita remitti aut distrahi potest.

633. Personalis actio , quam minor habet ad rem alienari prohibitam , remitti non potest debitori ; nec alteri extraneo cedi.

634. Cum ex duabus rebus in alternativa obligatione contentis , una tantum alienari est prohibita , non potest cedi aut remitti actio , si minor electionem habuerit:

635. Si vero electio fuerit debitoris , actionis cessio in suspensiō manet , quousque debitor eligat.

636. Subsistet hoc casu cessio , si debitor elegerit rem in prohibitione non comprehensam;

637. Contra vero , si solverit rem alienare prohibitam.

638. Legatum rei alienari prohibitae , pupillo aut minori relictum repudiari minime potest.

639. Quod procedit tam in legatis per damnationem relictis , quam per vindicationem etiam quoad ius Pandectarum attrinet.

**DE CASIBUS , QUIBUS RES EORUM QUI SUB TUTELA  
vel cura sunt , possunt inconsulto Praetore  
valide distrabi.**

**S**640. Everi oratio et sententia aliquos excipit casus, quibus tutor et curator res pupillorum et minorum quacumque alienare inconsulto Praetore possunt.

641. Primò cum pupilli aut minoris parens testamento iusserit , ut fundus ex. ca. distrahatur , potest absdubio tutor aut curator eum sine iudicis decreto distrahere.

642. Viceversa cum Pater res , quae alienari non prohibentur , tutori distrahere prohibuerit , facta distractio inutilis prorsus est:

643. Nisi huiusmodi prohibitio pupillo damnosa sit; quo casu , paternum praeceptum contempnere tutori licet.

644. Quamvis oratio solum de parente loquatur , ex eius mente et sententia receptum est , ut et extranei testatoris permissio in re immobili alienanda , quam pupillo relinquit , tutori tribuat etiam facultatem alienandi Praetore inconsulto.

645. Haec autem , sive Parentis , sive extranei testatoris voluntas , nihil interest , an testamento , an vero codicillis sit scripta.

646. Neque , an sint codicilli testamento confirmati , aut non.

647. Idem est dicendum , quamvis huiusmodi voluntas in privata dumtaxat scriptura , quae nec ad testamenti , nec ad codicillorum causam pertineat , expressa sit.

648. Imò etsi testamentum Patris , in quo praedicta voluntas continetur , postea irritum esse apparuerit ; poterunt tamen praedium rusticum pupillare absque decreti interventione alienare tam tutor quam curator.

649. Id ita intelligendum est , cum testamentum ob defectum alicuius solemnitatis sive intrinsecæ , sive extrinsecæ , irritum est.

650. Vel cum testamentum sui heredis agnatione aut quasi agnatione fuit ruptum.

651. Cum vero testamentum irritum fit ex eo , quod testator capite fuerit n. inutus , nihil operatur alienandi permissione ibi declarata.

652. Quod procedit in qualibet capit is diminutione testatoris superveniente.

653. Nullius quoque momenti est facultas alienandi permissa testamento , quod per querelam inofficiosi fuit rescissum.

654. Novo Iustiniani iure aliter se res habet , cum per querelam testamentum rescinditur.

655. Non sufficit tamen , quod parens dum vixerit , res quasdam ex prohibitis alienari venales habuerit , nisi , ut distrahantur , expresse permisserit.

656. Cum parens negotiationem aliquam exercuerit , nisi expresse iusserit , ut post mortem suam idem negotium exerceatur , liberum est tutoribus et curatoribus negotiationis merces distrahere.

657. Praeterea res alienari prohibita distrahi etiam inconsulto Praetore potest ad paterni contractus implementum et executionem.

658. Cum igitur creditor fundum , aliamque rem alienari prohibitam ex pignoris causa à minoris parente acceptit , in casum non solutae pecuniae potest eum alienare.

659. Minor tamen seu eius curator , fundum à parente suo pignori datum distrahere non potest , etiam si animo satisfaciendi creditori alienare intendat.

660. Cum fundus à parente vel ab alio , cui minor successit , debetur ex stipulationis , venditionis , vel alia simili causa , tradi à curatore inconsulto etiam Magistratu potest.

661. Si minoris Parens fundum emerit cum pacto , ut fundo reddito premium recipiat , potest curator fundi retrovenditionem expedire.

662. Idem est dicendum , et si ipse tutor fundum à pupilli parente enerit , poterit ipse sibi eum tradere.

663. Si tutor pupilli , creditorī paterno , cui Pater fundum

dum pignoris subiecet, debitum solvat, ut in eius locum succedat, nihil contra Severi orationem facere asserimus.

664. Novo autem Iustiniani iure ultro et sponte solvere minoris creditoris, ut in eius locum succedat minime potest:

665. Nisi forsitan bona fide, et ut pupillum à paterni creditoris molestiis et vexationibus liberet, pecuniam debitam persolyat, quo casu hodie etiam in creditoris locum succedit.

666. Si tutor, ut Paterno creditori, cui fundus fuerat pignoratus, satisfaciat, mutuam pecuniam à novo creditori accepit; eundem fundum novo creditori oppignorare, et prioris creditoris ius in sequentem transferre non prohibetur: dummodo durior minoris causa non reddatur.

667. Ex sententia orationis Severi inductum fuit, ut si Parens aut alias testator extraneus pupillum heredem instituerit, eumque oneraverit ad fundi alicuius praestationem, tradi possit legatario aut fideicommissario nullo interveniente decreto; si fundus proprius sit testatoris:

668. Contra verò, si fundus relictus fuerit proprius ipsius pupilli, qui sine decreto tradi non potest.

669. Qui minori fundum donaverit, potest in ipso donationis actu resolutivam conditionem adficere, qua existente, fundi dominium à minore, eodemque donatario, ipso iure absque ullo Praetoris decreto recedit, et ad donantem recurrit.

670. Similiter si minor sub resolutivo pacto addictio-  
nis in diem, aut sub lege commissoria fundum emerit, alio  
intra praefixum diem meliorem conditionem afferente, aut  
ipso pretium non solvente, confessim acquisitum fundi do-  
minium, inconsulto etiam Magistratu, amittit, et ad ven-  
ditorem ipso iure revertitur.

671. Ulterius excipit Severi oratio divisionem rei com-  
munis inter minorem et maiorem, quae expediri potest  
inconsulto etiam Magistratu.

672. Quod ita intelligendum est, cum maior socius  
mi-

minorem provocat ad divisionem , ut alibi diximus.

673. Cum casus , in quibus permittit Severus tutoribus et curatoribus res quascumque pupilli aut minoris alienare , sint species alienationis necessariae , recte per Consultorum interpretationem receptum fuit , ut in similibus possent tutores et curatores eodem modo alienare.

674. Finge , tutor pupillarem fundum vindicationis iudicio petiit , et reus litis aestimationem obtulit , recte alienatio ita facta procedet.

675. Eodem modo cum fundus , qui reapse pupilli est ab alio vindicationis iudicio petatur , et Iudex contra pupillum pronuntiaverit ; potest tutor iudicis sententiae obtemperans , fundum actori tradere.

676. Si minor fundum , aut rem aliam prohibitam alienari , sponte et libere distraxerit , iurans se numquam retractarum distractionem , firma ac valida erit alienatio.

677. Tutori quoque vel curatori permittit Iustinianus , ut in iudicio , minoris res , quarum administrationem gerit , pro litis cautela valeat subsignare , seu hypothecae subiicere.

678. Cum sententia in iudicio adversus minorem a competenti quolibet iudice profertur , in condemnati minoris bonis etiam alienari prohibitis compleri potest absque Praetoris decreto.

679. Nec venditio praedii pupillaris ex iudicati causa capti et distracti ad senatusconsultum nostrum pertinet.

680. In omnibus casibus , in quibus tacita hypotheca ex legis dispositione constituitur , res etiam in prohibitione comprehensae vinculo hypothecae subiiciuntur , sive ullo Praetoris decreto.

681. Itaque si minor cum fisco contraxit , vel si minor dotem accepit , bona ipsius minoris pignorata censentur , quamvis nulla Magistratus auctoritas intervenerit.

682. Denique distractionis prohibitio , sive Severi orationem , sive Constantini constitutionem , sive ius nostrum regium attendamus inter vivos unicè ; minimè vero in ultimis dispositionibus locum habet.

683. Minor enim cum ad pubertatem pervenerit , testamentum condere , et in eo et rustica praedia , et res quaslibet alias , hereditatis , legati , aut fideicommissi nomine relinquere potest.

**DE CAUSIS , OB QUAS POTEST PRAETOR  
alienationem huiusmodi permittere.**

684. **N**on promiscuè , sed ex certis dumtaxat causis concessum est Praetori , ut rerum alienari prohibitarum tutoribus et curatoribus alienationem permittat.

685. Ex orationis verbis permittere potest Praetor alienationem seu obligationem ex causa aeris alieni:

686. Dum tamen creditores urgeant , vel usurarum modus solvendum aes alienum suadeat.

687. Quando urgere creditores intelligatur , Iudicis arbitrio relinquitur.

688. Non est opus , ut contra minorem exsecutio immineat.

689. Sufficit , quod creditores instant , et debitum petant.

690. Sufficiens tamen non est , quod Notarius in instrumento venditionis asserat , creditores institisse , et sibi solvi petiisse ; sed aliter constare de instantia debet.

691. Cum Praetor ex aeris alieni causa rem oppignorari concedit , potest creditor pignoratius , in casu non soluta pecuniae , rem huiusmodi sine novo decreto distrahere.

692. Tutores seu curatores debent specificam decreti formam servare.

693. Igitur facultas ipsis concessa ad oppignorandum fundum , non se extendit ad vendendum:

694. Nec data ad vendendum , intelligitur concessa ad oppignorandum.

695. Si vero creditores in iudicio urgent , et sententia adversus minorem feratur , deficientibus aliis bonis , possunt immobilia distrahi sine ullo Praetoris decreto.

696. Praeterea iustam habet causam Praetor ad permettentem

tendam alienationem , cum curator dotem minori constituturus est.

697. Cum quis non vult aliter matrimonium contrahere cum minore vigintiquinque annis , nisi dos in pecunia numerata detur , potest Praetor decernere rerum adhuc immobilium venditionem.

698. Si rerum immobilium dos aestimata tradita sit à curatore sine Iudicis decreto, poterit uxor , soluto matrimonio, ratam habere hanc aestimationem, pretium accipiendo; vel res ipsas petere , prout sibi utilius videatur.

699. Iusta quoquē est causa ad decernendam alienationem donatio propter nuptias.

700. Novo adhuc Iustiniani iure decretum Magistratus necessarium est, ut res in distractionis prohibitione comprehensae à curatore propter nuptias donentur.

701. Egestas pupilli aut minoris iusta etiam est causa, ut Praetor permittat tutori aut curatori rem etiam immobilē alienare.

702. Hoc ita intelligendum est , cum pupillus ex alio capite nulla alia bona habeat ad se alendum , ne aliās mendicare cogatur.

703. Quo casu , si periculum est in mora , nulla alia solemnitas requiritur , quam Praetoris decretum.

704. Idem est dicendum , cum pupilli defensio urget.

705. Potest etiam permitti alienatio, ad alendam minoris matrem egenam , et sorores.

706. Sola minorum utilitas causa sufficiens non est , ut Praetor curatori permittat rerum immobilium alienationem.

707. Nostro autem regio iure, quaecumque bona, pro minoris utilitate, alienari possunt, Iudicis decreto interveniente.

*DE MAGISTRATIBUS , QUI ALIENATIONEM  
rerum eorum, qui sub tutela vel cura sunt , decernere  
possunt ; et quomodo.*

708. Certo certius est , Supremum Principem , qui  
G le-

légibus solutus est , alienationem et obligationem rerum co-  
rum, qui sub tutela vel cura sunt , permettere posse.

709. Quod verissimum est , nedum quando rescritbit  
propter preeexistentem aliquam ex causis in Severi et Con-  
stantini lege contentis ; sed et cum rescriptum concedit  
propter utilitatem , aut causam aliam sibi bene visam.

710. Magistratus Principe inferiores solum hi possunt  
huiusmodi alienationem decernere , quibus concessum est.

711. Tales sunt in urbe Praetor , in provinciis Praesi-  
des earum.

712. Cum Praetor , aut provinciae Praeses suam man-  
dant iurisdictionem , mandatarius decreti interponendi fa-  
cultatem in rerum pupillorum et minorum alienatione non  
habet.

713. Nec Praetor nec provinciae Praeses in decernen-  
da alienatione limites propriae iurisdictionis excedere , et  
manum in alienam porrigere possunt ; sed secundum suam  
quisque iurisdictionem iudicare debet.

714. Cum tutor et pupillus in hac civitate domicilium  
habent , et in alia rem , quae alienanda tractatur , solus do-  
miciali Iudex adeundus est , ut decretum interponat.

715. Id intelligendum est , si unus idemque tutor res  
pupilli omnes administrat:

716. Si vero rerum alibi existentium curam non gerit,  
utriusque iudicis et domicilii et territorii decretum interve-  
nire debet.

717. Competens Magistratus non de plano , sed pro tri-  
bunali , causae cognitione prahabita , decretum interpo-  
nere debet.

718. Si Iudex nulla causae cognitione prahabita sub-  
scripsert alienationem permittens , inutile et inane erit de-  
cretum.

719. Causae cognitio , quae praecise debet decretum  
praecedere , in pluribus consistit.

720. Primo debet Magistratus mature examinare , an  
scilicet iusta alienationis seu obligationis sit causa ; veluti an  
creditores urgeant:

721. An etiam ad dissolvendum aes alienum pecunia aliunde expediri possit,

722. Cum pecuniam vel in numerato , vel in nominibus , quae conveniri possunt , minor habet , non potest Praetor distractionem decernere.

723. Neque , si ex fructibus conditis , aut fructuum et obventionum spe parari pecunia possit.

724. Si ex dictis rebus pecunia de facili parari non possit , et sint res aliae praeter praedia , ex quarum pretio possit creditoribus satisfieri , potius illas , quam ista alienari Magistratus est decreturus.

725. Cum minor solum praedia habet , inquirere debet iudex quodnam ex illis minus utile minori sit , ut eius prius quam maioris et utilioris alienationem permittat.

726. Ut haec omnia exactè Magistratus expeditat , requirire aliquem debet , qui se instruat de pupilli fortunis.

727. Requirere etiam debet necessarios pupilli , vel Parentes , vel libertos , vel quem alium , qui notitiam rerum pupillarium habeat.

728. Cum nemo , qui notitiam habeat , invenitur , iubere debet Praetor edi rationes , et synopsim bonorum pupillarium , atque Advocatum pupillo dare , qui instruere cum possit , an assentiri venditioni vel obligationi debeat.

729. Nec in his tantum causae cognitio sistit , sed ulterius requiritur , ut Praetor deliberet , an vendere , an obligare pupillo sit utilius.

730. Debet etiam observare , ne plus foenoris accipiatur sub obligatione praediorum , quam quod opus sit ad dissolvendum aes alienum:

731. Et etiam , ne propter modicum aes alienum magna possessio distrahatur.

732. Cum res immobilis pupilli vendenda est utilitatis ratione , secundum nostrum ius regium , exigitur ulterius , ut evidens utilitas probetur , ut puta quia res est sterilis et infructuosa , quae magis incommodum quam commodum affert , et quod pretium in re maioris redditus impendi possit.

733. De quibus omnibus Iudex se debet informare , et

probationes accipere ; et non nimis credere tutoribus et curatoribus.

734. Causa ita cognita decernere debet iudex iustum aut iniustum esse petitionem ad alienationem, quæ fieri intenditur.

735. Cum Praetor alternative vendere, vel obligare tutori aut curatori permittit, inutile erit decretum:

736. Nisi iustis rationibus motus de optimi et diligentissimi tutoris aut curatoris industria confidens, prudenti eius iudicio distrahendi vel obligandi liberum arbitrium committat.

737. Habito legitimo Praetoris decreto ad vendendum potest tutor et curator rem vendere, quin subhastatio, in venditione celebranda, sit necessaria.

738. Regio autem nostro iure subhastatio fieri debet per triginta dierum spatium, quando de rebus pupilli et minoris immobilibus distrahendis agitur.

739. Auctio haec fieri debet in loco publico, et in civitate, ubi res sita est.

740. Cum in una civitate habitat pupillus, et in alia sunt res immobiles distrahendae, Magistratus domicilii dirigere debet litteras requisitorias ad Iudicem territorii, ut ibi auctionentur.

741. Licet saepius per praeconem denuntiari debeat huiusmodi venditio intra legitimum tempus; opus tamen non est, ut quotidie id fiat.

742. Si nullus inveniatur Praeco, qui venditionem denuntiet, sufficit, ut edictum in loco publico apponatur.

743. Ultra iustum causam, eiusque cognitionem à Praetore præhabitam, et legitimum decretum, requiritur quoque tutoris vel curatoris auctoritas, qui administrationem gerit.

744. Cum plures sunt tutores, unius tantum auctoritas sufficit, licet tutius sit omnium adhiberi.

745. Denique post legitimè factam distractionem, debet Praetor viatorem seu exsecutorem decernere, qui se instruat, et renuntiet pecuniam conversam in id fuisse, propter quod desiderata et concessa fuit alienatio seu obligatio.

746. Huic autem viatori iurato plena fides adhibenda est, quoties rem exsequitur secundum Iudicis iussum, et sui officii naturam.

**D E E F F E C T U A L I E N A T I O N I S R E R U M E O R U M ,**  
*qui sub tutela vel cura sunt.*

**E**

747. Effectus alienationis rerum pupillorum et minorum alius est , quando facta est secundum iuris praescriptam formam ; longe alius , quando non est ita facta.

748. Cum servata iuris forma tutor vel curator rem alienari prohibitam distrahant , transfertur dominium traditio- ne secuta in emptorem , vel usucapiendi conditio.

749. Caeterum si Praetori fuerit obreptum , vel falsis al- legationibus circumventum fuisse appareat, licet Praetor in- terposuerit decretum , nulla tamen erit alienatio.

750. Quo casu , potest minor distractum praedium a- ctione reali avocare sive ab ipso emptore , sive à quolibet alio possessore.

751. In hoc autem iudicio transfertur onus probandi in minorem , qui praecisè probare debet iudicem fuisse falsis allegationibus circumventum.

752. Cum Praetor fundum pupillarem distrahendum legitimè decernit , nulla erit venditio, si tutor vel per se vel per interpositam personam eum emat.

753. Novo compilationis iure nec tutores , nec curato- res emere possunt rem ullam minoris vel pupilli sive palam, sive per interpositam personam.

754. Etiam si solemnitates omnes iure praescriptae fue- rint in alienatione rerum minoris servatae; potest tamen res- cindi distractio.

755. Primus effectus alienationis rerum minorum factae non servata iuris formula est , quod distractio rei ipso iure nulla sit.

756. Secundus , quod distractum contra prohibitionem praedium,sive ab ipso tutore aut curatore sive à tertio quo- libet possessore actione in rem, seu vindicatione minor pe- tere possit.

757. Tertius , quod minor non modo praedium , sed etiam

etiam ex eo perceptos fructus sive extantes sive consumptos vindicare valeat.

758. Id intelligendum est , si possessor malae fidei sit:

759. Cum vero contra bonae fidei possessorem minor agat , fructus solum extantes consequi potest.

760. Possessor fundi minoris , qui iuris errore deceptus , eum emit sine solemnitate praescripta , falso putans non esse necessariam , nec fructus naturales nec industrielas , quos ex praedio percepit , suos facit.

761. Poterit tamen huiusmodi possessor per exceptionem doli mali praedium retinere , quoisque ei solvatur pecunia in inquaerendis fructibus expensa: et etiam in meliorandis praediis:

762. Et simul pretium , eiusque interesse in minoris rem versum.

763. Quartus effectus illegitimae alienationis est , quod pro minore , qui praedium contra iuris formam distraxit , fideiussor acceptus non teneatur.

764. Neque etiam pignora sive data sint ab ipso minore , sive ab alio istius nomine in securitatem talis inutilis distractionis obligata manent.

765. Non distinguimus , an res pignoratae in alienationis prohibitione comprehensae sint , necne.

766. Distractio rerum pupilli et minoris ab initio inutilis convalescere ex postfacto potest directe , et utiliter.

767. Directe convalescit per expressam , aut tacitam minoris ratihabitionem factam , postquam maior factus est.

768. Expressa autem ratihabitio aut tacita non id efficit , ut utilis ab initio distractio fuisse retro credatur ; sed id solum operatur , ut ex ratihabitionis tempore valere incipiat.

769. Licet ratihabitio , ex quo subsecuta est , utilem sine decreto factam distractionem constituat , non ideo dolus circa pretium in venditione commissus censemur remissus;

770. Nisi circa eius remissionem specialis conventio fuerit adiecta.

771. Si minor igitur fuerit deceptus in pretio rei venditae , quamvis maior factus ratam habuerit venditionem ,

potest tamen residuum pretii petere.

772. Idque procedit , quamvis laesio dimidiam iusti pretii partem non attingat.

773. Convalescit etiam directo inutilis ab initio alienatio rerum pupillarum per praesumptam ratihabitionem statuti temporis transcurso , et imperiali constitutione fulcitam.

774. Iustiniani constitutione cum minor sine decreto ex onerosa causa inutiliter rem alienaverit , si maior factus intra continuum quinquennium nihil fuerit conquestus, perinde subsistit alienatio , ac si ab initio legitimo decreto interveniente fuerit facta.

775. Quinquennium , intra quod nullitas alienationis allegari debet , incipit currere cum minor vicesimum sextum annum attigerit.

776. Quod procedit etiam in minoribus, qui aetatis veniam impetrarunt.

777. Cum vero alienatio ex lucrativa donationis causa procedit , non aliter firmitatem habebit, quam si post legitimam aetatem impletam inter praesentes decennium, inter absentes vicennium, acquiescente minore donatore, elapsum sit.

778. Utiliter convalescit illegitima alienatio per dolí malí exceptionem ; veluti si accepta pecunia salva apud minorem sit , vel in rem eius versa.

779. In hoc iudicio non sufficit , ut emptor probet pecuniam ad minorem pervenisse , sed probare cogitur pretium rei emptae apud minorem esse , vel in huius utilitatem fuisse versum.

780. Quamvis venditio rei pupilli sive minoris , iusto praecedente decreto , servatisque aliis iuris solemnitatibus, damnosa sit ipsi pupillo aut minori, valida tamen ab initio est.

781. Caeterum minori aut pupillo laeso competit in integrum restitutio intra quadriennium.

782. Quadriennium hoc à die , quo minor implevit vicesimum quintum annum, currere incipit.

783. In eo autem , qui impetravit aetatis veniam, currit quadriennium à die , quo sibi fuit permissa rerum quarum administratio:

784. Ita tamen , ut nunquam intra minorem aetatem constituto de his , quae ante impetratam veniam gessit , auxilium in integrum restitutionis denegetur.

785. Ius rescindendi emptionem minor habet non solum adversus primum emptorem , sed etiam adversus secundum , si scivit rem minoris esse : sed si ignoravit , solum in subsidium.

786. Minor non solum cum laesus est in venditione ; sed etiam cum pretium amissit , aut male consumpsit , ius eam rescindendi habet , licet solemnitates iure praescriptae fuerint adhibitae.

787. Qui hoc remedio utitur , post transactum quadriennium , audiendus non est ; et si per modum exceptionis opponat.

788. Quod procedit , etiam si alleget ignorantiam.

789. Minor , qui intendit in integrum restitutionem , duo probare debet , scilicet se , cum contraxit , minorem fuisse ; et sua facilitate , vel adversarii dolo esse laesum.

790. Si laesio post contractum perfectum casu fortuito contingat , minor restituendus non est.

791. Ut hoc remedium minori competit , opus non est , ut laesio sit circa dimidium iusti pretii.

792. Quae autem laesio sit sufficiens , ut minoris contractus rescindatur , pendet ex iudicis arbitrio.

793. Cum venditio à minori facta expressè rata , postquam maior factus est , habetur , rescindenda non est.

794. Idem est dicendum , cum maior factus venditio nem ratificaverit per aliquem actum , per quem approbatio inducitur , veluti si pretium rei venditae petierit.

795. Caeterum non inducitur ratificatio ex eo , quod rem venditam , quam vendidit in minori aetate , tradere cogatur , postquam maior factus est.

Imprimatur.

*Vincentius Blasco,  
Can. Rector Universitatis.*

*Vt. Madinabeitia,  
Cens. Reg.*



~~4500~~

3/4

C 26





FR